



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustæ Vindelic., 1727

Adauctus Consolator Fidelis Animæ Seu Exhortatiunculæ Superadditæ. In
Diversos dies festivos, & Status Personarum, omnis Ordinis, sexûs, &
ætatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



ADAUCTUS
 CONSOLATOR
 FIDELIS ANIMÆ

SEU
 EXHORTATIUNCULÆ
 SUPERADDITÆ.

In
 Diversos dies festivos, &
 Status Personarum, omnis
 Ordinis, sexûs, & ætatis.

EXHORTATIUNCULA I.
 Pro die, quò quis natus est mundo.

I.

Fili Charissime! Ubi erat ante centum annos?
 Sepultus jacuit in barathro sui nihili: Sed
 ubi modò? in statu omnis felicitatis. Animam
 dedit Deus immortalem; animam formavit De-
 us in sui imaginem, atque idæam: Quæ hæc
 felicitas? Agnoscunt creaturæ cæteræ esse suam:

Hh

Quid

Quid agat homo, cui datum, quod tot millibus negatum. Fili! *Lapis de pariete clamabit*, si hodiernum nativitatis suæ diem non perenni quotannis recoluerit memoriâ.

Instructio meritoria.

Fiat! Et ecce modum! SSS. Trinitatis opus fuit Nativitas nostra. Gaudeamus! In recollectione mentis maneamus! Tria SS. Rosaria (Cuilibet Divinæ Personæ suum) persolvamus cum 12. actibus modestiæ, & taciturnitatis. Cum S. Brunone autem sæpius de die ad cælum suspiremus: *O Bonitas! O Bonitas! O Bonitas!* Sit gloria Patri, qui me creavit! Sit gloria Dei Filio, qui me redemit, & vocavit! Sit & Spiritui Sancto, qui me sanctificavit. Amen.

II.

O Amandissime! Quale esse accepit hodie de manu Dei? Profectò omnium nobilissimum, te faciendò hominem perfectissimum. Congregavit in te id omne, quod est partitus inter creaturas cæteras. Dedit tibi esse cum cælo, astris, atque elementis. Quid autem agit cælum? Quid astra, & elementa respectu Dei? Noli vinci eorum promptitudine! Noli ab inanimatis!

Instructio meritoria.

Ter dicamus Canticum Danielis: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Et illud frequenter nobiscum repetamus suspiciendò cælum: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio!* Jungamus quoque tres actus mortificationis

tionis tam in oculis, quàm gustu exercendos.
Non cibis, non vanitatibus, sed Deo nati sumus. Valeant cætera!

III.

ET ad quid ô fili! tam nobilis nativitas vobis?
Ad quid anima immortalis? Audite cæli!
Et obstupescite! Creavit Deus hominem, ut
homo totum æternaliter possideret Deum.
Quanta inde diabolo invidia! homini servatus
in cælo thronus, quò ille excidit æternùm miser.
Cavendum, ne & nos præcipitet. Quo-
modo? In nihilo superbiendò: Creaturis abu-
tendò: Intellectu, & voluntate Deum dimit-
tendò. Heu ingritudinem mille infernis dig-
nam.

Instructio meritoria.

Transigamus ergo dies ac noctes ardentissimis
affectibùs beneficium Creationis rememorandò.
Et quia nati in Romana Ecclesia; quia à tam piis
parentibùs educati, tot naturæ, & gratiæ do-
nùs ditati, per reliquum vitæ decursum quoti-
die à manè, & nocte cantemus *Te Deum Landa-*
mus &c. Cum duodecim osculis terræ, quorum
clausula: *Benedicamus Patrem in sua Omnipot-*
entia, Christum Jesum in sua Sapientia, &
Spiritum sanctum in sua infinita Bonitate, &
Providentia. Fili! Quid si integram devotionis
institueremus Octavam? ampliora meruit gra-
tia tanta!

EXHORTATIUNCULA II.

Pro die Natalitii Nominis.

I.

Dilecte! Quàm magnificum est Nomen, quod imposuit Deus! Emptum est sanguine Jesu. Vosne portabitis sine labore? Sine fortitudine? Grande nomen magna facta exigit. Non est Christianus, qui opera non facit Christi. Et illa ô quanta! Ad hæc eluctari possumus, si volumus. Tentemus! Piis conatibus certè aderit Christus.

Instructio meritoria.

JESUM ne offendamus, in vacuum portandò nomen, . . . tot dies pro speciali devotione nobis staturamus, quot litteris constat Baptismale nomen. Per illos autem dies quotidie ter visitemus sacrosanctum Venerabile, & Lytanas de dulcissimo Nomine Jesu quàm attentissimè recitemus, additis in fine his precibus: *Domine! Tibi vivam! Tibi & moriar frater de Nomine Jesu!*

II.

O Providum cœlum! Vix nati estis: Jam vestrùm ô fili! misertus est Deus. Ad sacrum fontem vocat, S. Baptismate mundat, & nomine omnium præstantissimò, nomine Christiani honorat. Sed quis verè Christianus? Qui credit, quæ fides docet. Fili! Vana est fides, mortua est fides, ubi regnant peccata. Non peccaremus, si firmiter crederemus, dari Deum, infernum, paradisum. O quàm pauci
igitur

igitur veri Christiani! Augeamus numerum nostrâ pietate, & vitâ exemplari.

Instructio meritoria.

Ut Christi fideles vitâ, moribûs, & sanctis laboribûs Christum in seipsis exprimant, & omne peccatum extremè fugiant, ad omnes Cœlites clamemus persolvendô *Lytanias de Omnibus Sanctis* cum suspirio: Domine JEsu! Excita potentiam tuam, & veni, ut repleas tuorum corda fidelium fide ardenti, & vivacissimâ!

III.

BOne; O si nomen suum quondam legeret scriptum in libro vitæ! Verùm modicæ spei! Quare dubitat? Sit fidelis, & bonus miles Christi: Pro stipendio apprehendet vitam æternam. Qui vexillum sibi statuit Christi, stat contra carnem, & sæculum; nescit gaudia, nisi quæ latent in Crucis gloria. Et ô dilecte! *Quis sanctorum sinè tribulatione coronatus est? Quere; & invenies singulos adversa perpeffos.* S. Hier.

Instructio meritoria.

In hodiernis adversitatibus, & pressuris (sinè quibûs dies nulla) nostram pro dignitate nominis probemus constantiam, & dum soli, proci-damus in genua, & SSS. Trinitati gratias agamus, orandô ferventer psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam in seculum misericordia ejus.* Tesserâ diurna sumatur ex S. Laurentio Just. JEsu! *Da hîc patientiam! ibi verò indulgentiam!*

EXHORTATIUNCULA. III.

Pro Gratioſo tempore Clementiſſimi
Jubilæi.

I.

Bona nova! O fili ſpiritualis! Bona nova! O
nobilis! Chara anima! En! Magna vobis
offertur deſurſum gratia, quia lucranda pecca-
torum omnium indulgentia. Hâc è ſclerum
exuimur ſordibus; hac à ſervitute diaboli redi-
mimur. Ut acceptemus, invitat nos Chriſtus:
Venite! Clamat Eccleſia: *Currite!* Allicit vita
æterna: *Et ego reficiam vos.* Quid delibera-
mus?

Inſtruçtio meritoria.

Gratiarum actio eſt novarum impetratio. A-
deamus proin thronum gratiæ, videlicet Eccle-
ſiam, & tria nobis ſeligentes altaria, ter viſite-
mus in honorem ætatis Chriſti JEſu quàm devo-
tiſſimè recitandò 34. *Pater & Ave* cum Vers.
*Te ergo quaſumus, tuis famuli ſubveni, quos
pretioſo ſanguine redemiſti.* Quot anni JEſu,
tot aperti in nos Divinæ Bonitatis theſauri.

II.

EN! Tempus acceptabile! Ecce! Dies ſalutis!
O quanta ſunt coram Deo debita noſtra! O
quis ſuppliciorum numerus, quem toties pec-
candò, tot annos tam infructuoſè impendendò:
dona Dei, & naturæ perdendò atque negligendò
auximus. Heu! Jam imminet iræ Divinæ gla-
dius! Jam ardet ignis! Flamma iſtat! Fugia-
mus,

mus, ô chare! De medio Babylonis, de medio confusionis! Curramus ad pœnitentiam! Impe-
trabimus Dei misericordiam.

Instructio meritoria.

Pro condigna ad lucrandum Jubilæum præpa-
ratione solitariè vivamus, per recollectionem
internam à mundo nos abstrahamus, & cum
magno spiritu psallamus coram quodam Crucifi-
xo: *Confiteantur Domino misericordia ejus, &
mirabilia ejus filiis hominum.* Psal. 106. Peten-
tibus iusta nihil hodie negetur! Date, & com-
pensabitur cum scœnore!

III.

SCit fili! quis ipsum invitet ad sinum gratiæ?
Dicat dubitanti Divus Gregorius: *Ecce ip-
se, quem despeximus, vocat nos.* Ecce JESUS
pandit brachia, ut ibi te abscondas pro indul-
gentia. Pandit, etiam non rogatus. Offert,
ut toties offensus. JESUS te amicum vult, ami-
citiâ tuam rogat, & suam à te acceptari postu-
lat. O excessum Divinæ Clementiæ! Quis-
nam hominum offensus, & tam misericors, tam
amicus in offendentem? Adorares, si invenires.
JESUS is fuit! Gaude! Adhare! Sequere!

Instructio meritoria.

Amor provocat amorem, ut ignis ignem.
Peccatum sat est! Donemus hodie JESU illam
occasionem, quâ frequenter nos cecidisse, ad-
vertimus. Amor Dei jubet: Caveamus, ne
adeamus. Etiam unicum seriò cavisse peccatum,
signum magni amoris est. Fuga unius pariet

horrorem alterius; horrore autem peccatorum quid sanctius? Ut in eo crescamus, *psalmos pœnitentiales* offeramus. Plangamus præterita, ut non committamus amplius plangenda. Ecce misericordiæ Domini! Misericordiæ Domini! Quia non sumus consumpti.

EXHORTATIUNCULA IV.

Pro Ingredientibus sacram Religionem.

I.

UNde? Dilecte mi! Siccine à sæculo ad Christum? Laudo sanctum, & firmum propositum. At non sufficit, mundum reliquisse corpore; huic & animò atque affectibûs moriamur, necesse est. Si in sæculo fuimus superbi: vivamus jam humiles religiosi, si iracundi, & impatientes: jam simus mansueti, & fortes; si temporalibus addicti: nunc Deo, & cœlestibus immerfi. Et hæc est vera Conversio sui. **J**ESUM quærimus? Ergo quæ JESU non sunt, abjiciamus.

Instructio meritoria.

Pro singulari gratia vocationis, & hujus constantia dicamus officium minus de SSS. Trinitate cum Psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Additò hoc perenni amoris, & recognitionis pacto: manè, & noctu quotidie duodecies osculandi terram sub dicto: *Domine! Quid est homo, quod memor es ejus? Aut filius hominis, quoniam visitas eum?*

II. Fi-

bertas dare possunt. Perdere corpus cum anima possunt: salvare, & quidem æternum non possunt. Studium virtutis, & Dei servitium damnavit neminem. Unde ergo è numero hominum tot descendentes ad inferos? Quia erraverunt à statu suo, credentes sæculo, resistentes Evangelio, rebelles Jesu Christo. Hinc gemitus illi: ergo erravimus à via veritatis? Lassari sumus in via iniquitatis. Quid hoc ô Novelle? sequemur & nos? Ah! Ah! Reddant nos aliena pericula cautos.

Instructio meritoria.

Ut fiat, his tribus se potissimum applicet. 1. Profundæ humilitati in prosperis. 2. Conformationi omnium actuum ad vitam Christi in dubiis. 3. Exercitio amoris Dei super omnia in adversis. Ad signum Salutationis Angelicæ in dies singulos roget gratiam sacræ Professionis, inserendo cuilibet Ave votum Angelicæ Castitatis, perfectæ Obedientiæ, & religiosæ Paupertatis. Crescunt desideria rememorandò: Crescant & nostra!

EXHORTATIUNCULA V.
Pro Generaliter Confitentibus.

I.

Misericordiæ Domini! Misericordiæ Domini!
Quia non sumus consumpti: O fili! diu dilectam quæsivit oviculam Pastor bonus; diu vestram expectavit animam dulcis Jesus. Tandem! Tandem inter brachia, inter vulnera video,

deo ; quia ingemiscentem, peccata sua deplorantem, vitamque præteritam detestantem audio. O quàm bonus Israël Deus his, qui quaerunt, & diligunt eum ! Dilecte ! peccatum, offensum satis est ! Jesum non dimittat ! Anima vestra pretium sanguinis est ! Donetur, impendatur illius obsequiis, cujus est. Procul cum peccato ! Procul cum inconstantia !

Instructio meritoria.

Gratulor ad generosam sui victoriam, quam tulit per confessionem adeò sinceram, & candidam. Gratias agamus cælo, & toti SSS. Trinitati recitando omnes psalmos pœnitentiales cum annexis Lytaniis de omnibus Sanctis, quibus addamus *Te Deum Laudamus*, id quod per octo dies continuabimus, memores, quid filius prodigus debeat Patri stringenti se ?

II.

ECce sanus factus es ! Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Fili ! juravimus fidem Domino Deo ! Frangere non licet. Est enim Deus, qui dicit : *Ego Dominus, & non mutor.* Aliudne audebit servus ? An non æquum est, ad tempus brevissimum esse illius, qui noster est futurus totâ æternitate ? Timeamus, ne, si constantes non fuerimus, amittamus cum Deo finalem gratiam denuò nos convertendi ad Dominum. *Illà enim juxta S. Augustinum est pœna peccati justissima, ut, què rectum facere cum possit, nolit, amittat posse, cum velit.*

Instructio meritoria.

Absque perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Nos ut apprehendamus, merita diei hodiernæ omnia iis applicemus miseris fidelibus defunctis, qui ob inconstantiam gravissimè luunt inter flammæ purgatorii horrendas, addendò vespèras ex officio defunctorum. Redimamus, ut redimamur.

III.

Bona, & reformata vita hamus est, quò & malos alios attrahimus Christo. Sic primi fideles, & Apostoli vitæ exemplò, & sanctitate plures sibi acquisierunt in socios, quàm superbi Philosophi magnificentiâ doctrinæ, *nec tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendò.* Tertull. Fili! Piè, sobriè & justè vivamus in hoc sæculo. Sic fiet, ut soli placeamus Christo.

Instructio meritoria.

Cadit, qui pericula diligit. Fructum speramus de Confessione Generali, qui est odium peccati, contemptus sæculi, & ardens desiderium Dei? fugiamus occasiones labendi! *Ecce hostem! quem fugisse, vicisse est.* Clamat Euseb. Emiss. Oculos claudamus! mulierum aspectus horreamus! Mariam duntaxat contemplemur, diligamus! Hæc ne permittat in antiqua nos reincidere peccata, Rosarium speciale cum quinque Psalmis de Nomine Mariæ persolvamus. *Quis à Maria unquam vel tristis, vel ager abiit?*
S. Amad.

EX.

EXHORTATIUNCULA VI.

Pro intrantibus octiduana Exercitia sacra,

I.

Quorsum? O devota anima! Ergo abdita, & deserta petitis? Siccine à terrenis ad cœlestia? Ab humanis ad divina? à transitoriis ad immortalia, æterna properatis? Bene est! Precor beatum iter! Pergite, quò vos vocat Deus, & tota cœlestis curia! Pergite! Sed non sine socio! Sine comite fideli! Quis autem ille? Non alius, quàm viva fides, spes firma, charitas ardentissima. Fugient inimici, ubi tantus comitatus à latere. Jam currite! Properate! Sponsus venit! Sponsus clamat! Sponsus en! En! jam aperit, & intrat.

Instructio meritoria.

Pro felici sacrae solitudinis auspicio recitemus illa septem O Majora, quæ post Dominicam tertiam in Adventu invenienda. Addamus quoque hymnum de Spiritu Sancto: *Veni S. Spiritus! &c. Veni Pater pauperum &c.* cum collecta: *Deus, qui corda fidelium &c.* Fili! Non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia ex Deo est. Ergo clama! Ora! Ne cesses.

II.

Solus vult loqui nobiscum Deus. Ecce! Ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquor ad cor ejus. Fili! Ambula igitur cum Deo

H h 7

Deo, & esto perfectus, continuò recollectus in Dei præsentia penitus absorptus, tibi, sensibus, & sæculo mortuus. Et cur hoc? Respondet S. Aug. *Magna profectò nobis est indita necessitas justè, & rectè vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. Deus te videt: Et sanctus non sis?*

Instructio meritoria.

Cogitationes ex sæculo quàm primùm senserimus importunas animæ, statim allidamus ad vulnera Jesu, genua flectendò, & ex D. August. suspirandò: Domine Jesu! Per illa SS. Vulnera, quæ amor nostri tibi impressit in Cruce, quæsumus, tuo famulo subveni, quem pretioso sanguine redemisti. Audiet Jesus, & totus ibit in obsequia.

III.

Fili! Ut video, audiit Christum monentem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia! Veni, & sequere me. Sed attendat! Etiam fugientes sequitur mundus; etiam in solitudine advertuntur insidiæ. Ubique tentationes; ubique dæmon, & caro. Caveat, ne cadat. Sed simus sinè metu! Qui mundum vicimus in mundo, etiam in eremo triumphemus. Quomodo? Humilitate, oratione, austeritate, & Jesu invocatione.

Instructio meritoria.

Ita rigidè vivamus solitarii, ut per has octo dies integras nec hominem voluntariè aspexerimus, nec verbulum cum ullo perdiderimus sinè casu

casu necessitatis. Urbs cadet, utut munitissima, ad quam aditus inimicis patet per portas apertas. Lingua muta, & clausus oculus sunt magnæ sanctitatis instrumenta. Pro horum perfecta mortificatione in venerationem omnium sensuum, & membrorum in Christo JESU oremus 50. Pater, & Ave cum Lytaniis de Illius nomine potentissimo. Unde excisi, inde & sanctificati sumus.

EXHORTATIUNCULA VII.
Pro Solenniter Profitentibus, & tria
Vota emittentibus.

I.

Fili! Sponse! Qualis hæc dies? Quàm nobile, & pretiosum vobis imminet tempus! O si nunc daretur mentis oculò cæli penetrare palatia! Quid ambo cerneremus? Occurreret vobis SSS. Trinitas, ut Pater æternus vos in filium, Christus JESUS in fratrem suum, & Spiritus Sanctus in sponsam dulci osculò, & amplexu arctissimo adoptaret. O diem, quam verè fecit Deus, exultemus, & lætemur in ea.

Instructio meritoria.

Ne grato unquam excidat animo, ad trina signa angelicæ Salutationis quàm devotissimè flectamus, & ad tria Ave quotidie solemnia vota renovemus, cum repetita protestatione: *Tædeat me gaudere sine te: Et delectet me multa pati pro te: Sit mihi nomen tuum mea refocillatio,*

latio, & memoria tui unica consolatio. O Trinitas beata!

II.

CHare! Dum ad sacram Professionem gratulor, simul & vos in Domino adhortor rogans: Currite, & nolite tardare! Altissima enim est Professio vestra! Cœlos transit, par angelis est, angelicæ similis puritati; non enim vovebitis solum omnem sanctitatem; sed & omnis sanctitatis perfectionem. Aliorum est servire Deo; vestrum erit impostertum adhærere; aliorum est, Deum credere, scire, amare, colere; vestrum erit sapere, intelligere, frui, possidere. Quanta obligatio!

Instructio meritoria.

Macte animo! qui dedit velle, dabit & perficere. Oremus hodie dulcia Cantica, quæ incipiunt de communi Virginum: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo* &c. violenta non durant! Hilarem datorem diligit Deus.

III.

Qui adhæret Domino, unus spiritus est. O Religionis Candidate! Impostertum non sui, sed Dei erit; non in carne, sed in spiritu oportebit vivere. Deus semper in actu est; ita sit & ipse in continuo labore, & operatione sancta. Nil durum amanti, nil amarum, nil grave sentit amor. Spurius est, si pati renuit, & fœdus cum amato infringit, aut jugum abjicit, quod

quod sponte suscepit. Cœlum vos fervet ab impietate tanta!

Instructio meritoria.

Sacra Religionis vestimenta exosculemur cum gemitu S. Pauli: *Quis nos separabit?* Et ut soli Deo adhæreamus, psalmum dicamus, qui incipit: *Deus noster, refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis* &c. non pellitur hostis, nisi clamandô, perseverandô.

EXHORTATIUNCULA VIII.
Pro Venerandis Primitiantibus & Neomyftis.

I.

O Magne sacerdos! Vobis ex affectu ardentissimo noviter collatam defursum apprecor dignitatem, quam considerans doctorum aquila Divus Augustinus exclamat: O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus, veluti in Virginali utero Filius Dei Incarnatur! O Venerabilis sanctitudo manuum! O felix exercitium! O verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est sacerdos Dei Filium, & quod datum non est angelis, concessum est homini. Agnoscat jam, ô inuncte fili! Quid debeat pro Sacerdotio toti SSS. Trinitati?

Instructio meritoria.

Et ut modo saltem humano, atque possibili compenset, quoties celebraverit, toties reflexè tres actus variarum virtutum (præcipue modestiæ,

deſtiæ, humilitatis, & temperantiæ) de die exercendos ſibi ſtatuat. Actus ejuſmodi dein in libellum referat pro hoc fine ſpecialiter deſignatum, in quo & ſecundum ordinem menſium, hebdomadarum, & dierum quoque omnia ſacra jam lecta annotari deberent. Sic evitabitur omnis rerum, & ſacrificiorum confuſio. Pro gratiarum verò actione in reſſu ab ara uſque ad ſacriſtiam impoſterum recitetur *Te Deum Laudamus* cum cantico: *Magnificat: Conſitemini Domino, quoniam bonus.*

II.

O Dei ſacerdos! Veluti Angeli legatione fungimur pro Chriſto. Angeli perfeverant in ſanctitate, & juſtitia; ambulant in omni veritate, zelo, & puritate: ita perennate & vos in officiis, ſacris functionibus & bonorum operum exercitiis.

Inſtructio meritoria.

Moribus, oculis, & linguâ probemus, quòd ſumus de miniſterio ſupremæ Majeſtatis. Pro vita exemplariter, & ad omnium ædificationem tranſigenda quotidie ſacerdotali reſſui ſubjungamus ſeptem Pater, & Ave pro lucrandis indulgentiis, & ſuffragiis defunctorum. Punctum verò pro examine particulari, vel alia reflexione pia ſtatuetur illa Pauli admonitio: „In „omnibus teipſum præbe exemplum bonorum „operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, ut is, „qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum

malum dicere de nobis. O verba cubiculis,
plùs tamen cordibus, & moribus inſcribenda!

III.

Dilecte! Gaudeo, quòd ſacerdotem videam,
quem illis Magni Doctòris verbis ſaluto:
Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Ad
hunc finem ex millibus elegit vos Deus in ſacer-
dotem ſuum. Patet cuique via, cuique datur
gratia ad ſanctitatem: Quantò magis vobis? Agi-
te jam! Et Dei voluntatem perficite! Eſtote
ſancti, ſicut & ille ſanctus eſt. O Sacerdos (cla-
mat S. Auguſt.) *ſi anima cuiuſlibet juſti eſt ſe-
des Dei, multò magis ſedes, & templum vos eſſe
debetis mundum, ſanctum, & immaculatum.*

Inſtructio meritoria.

Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Et
ſacerdos, qui multum cum ſæcularibus, ſub-
vertetur. Caveamus, ne recedentes ab altari
ſtatim revertamur ad exteriora. Recolligamus
nos, primitus reſeſſum orando: Dein ad vari-
os actus anagogicos nos convertendò, in fine
preces pro indulgentiis annectendò. Dum ſu-
mus in acceſſu ad cubiculum, nobiſcum repeta-
mus pſalmum: *Letatus ſum in his &c.* cum
quatuor Pater & Ave pro obtinendis virtutibus
Cardinalibus. Pro ſtimulo ad inſignem ſancti-
tatem notemus S. Hieronymi verba: *Grandis,*
ait, dignitas ſacerdotum! ſed grandis eorum
ruina, ſi peccant. Letemur ad eorum ascen-
ſum: Sed timeamus ad lapſum. Non eſt tan-
ti gaudii excelsa tenuiſſe, quanti mœroris de
sub-

sublimioribus corruisse. O sacerdos contremisce.

EXHORTATIUNCULA IX.

Pro personis Curatis, & Parochis.

I.

Fili zelosissime! anima, ah! quanti valuit! Tanti, quanti vita Christi. Et ecce! hæc ipsa jam in manu vestra est, ut reddatis illi, cuius est. Curate proin eâ sollicitudine, zelo, & amore, quem sanguis, & mors JESU meretur. Clamate cum S. Francisco Xaverio: *Domine! da mihi animas.*

Instructio Meritoria.

Ad lucrandas Christo plurimas, manè & noctu versus quatuor mundi plagas flectamus, altum ingemiscientes: *Te ergo quesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Pro conversione autem infidelium cum Psalmo *Miserere* unum saltem quotidie Pater, & Ave oremus additâ Ecclesiæ collectâ: *Respice, quesumus Domine, super hanc familiam tuam &c.* Zelum suum probat, qui continuo pro animabus orat.

II.

Divinorum omnium divinissimum est, cooperari in salutem animarum. S. Dionys. Hoc equidem sine labore non fit. Verum sat pretiosus labor, qui impenditur animæ. Hanc Jesus suscipit, & veluti suæ S. Passionis stipendium respicit. Ut autem benè laboremus, à nobis

nobis ipsis incipiamus, nostram conversionem prodamus, & ut veros Pastores re, & opere profiteamur. Secus impingeremus in dictum Divi Hieronymi: *Accusamus sæpè, quod facimus contra nosmetipsos deserti.*

Instructio meritoria.

Incommoda, quæ occurrent non modica, supportemus viriliter, & strenuè pro Dei gloria, & nomine. Pro lucro innumerarum animarum recitemus duodecim Pater & Ave, cum hymno: *Exultet cælum laudibus: resultet terra gaudiis &c.* De communi Apostolorum. Ad magna magnus requiritur spiritus, & hic verè Apostolicus.

III.

VEnerande! quod est officium vestrum? Audio ex S. Jeremia; audio: sed contremisco: *Ecce constitui te hodie super gentes, & regna. In quem finem? Ut evellas, & destruas.* Non vos respectus ullus, aut metus judiciorum, vel sermonum terreat. Exequamur, quod DEUS, & propria salus imperat. Laudes, & contemptus vulgi in promiscuo habendi sunt; aliàs timore calumniarum omitemus, & negligemus optima. Clamemus, & exaltemus vocem: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Pereat peccatum! Cadat Dagon! Exurgat, & imperet Deus.

Instructio meritoria.

Opera quotidiana, & certas de die afflictiones corporis pro placando Deo, & reconciliandis illi animabus reflexè offeramus. Porro

ter

ter adeamus Sanctissimum Venerabile, & ut in vinea Domini magna præstemus pro emolumento Romanæ Ecclesiæ, 14. Pater, & Ave dicamus pro gratiarum actione, ratione septem Sacramentorum in Ecclesia institutorum. Septem sunt Sacramenta: & quot mortalium, qui bene utuntur?

EXHORTATIUNCULA X.

Ad Venerabiles Superiores.

I.

VEnerande Fili! Portamus Superioris Nomen! Benè; sed attendamus & quæ latent, onera. Hæc premunt plerumque, qui regunt. Non gaudeamus; quia præsumus: sed omnibus prodesse studeamus; & tunc erimus servus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: Ad quid? ut demus escam in tempore bonæ vitæ, & ædificatoriæ: ut Patrem induamus, & Dominum tegamus. Tu enim solus Dominus, ô Jesu!

Instructio meritoria.

Ne honor sæculi, aut amor proprii commodi decipiant nos, duodecim Pater, & Ave oramus cum officio SS. Trinitatis. Omnis potestas, & auctoritas ad operandum in vinea Domini desursum est: Quis sibi attribuat? aut à cælo petere renuat?

II.

SUmmus locus, monet D. Gregorius, benè regitur, cum Superior prius vitiis, & sibi domina-

mina-

minatur. Sanctè acceptam tractat potestatem, qui & eam tenere novit, & impugnare. Fili! est Superior. Gratulor! verùm & in Domino adhortor: Culpam persequere, personam dilige. Sumus & nos miseri mortales. Lapsos erigamus! non præcipitemus.

Instructio meritoria.

Superiori ò quàm necessarius discretionis, & lenitatis spiritus! Hic datur orantibus. Oremus proin septem Pater, & Ave in honorem septem donorum de Spiritu sancto cum Lytaniis de eodem. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram,

III.

Quod mellifluus Doëtor cuilibet superiori, hoc idem repeto pro meo filio. *Erudimini, clamat Bernardus, qui judicatis terram! discite, subditorum vos matres esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui. Ut Matres fovete! ut Patres corrigite! Suspendite verbera, ubi profunt sola verba. Ubera pandite, ut gaudeant afflictorum pectora. O bella lectio! nunquam recedamus, ut in continua pace vivamus.*

Instructio meritoria.

Ars artium est, sanctè, & utiliter præesse. Ut obtineamus à Patre luminum, à Magistro amoris & clementiæ Christo Jesu, officium minus de Illius suavissimo Nomine oremus cum Rythmo:
Anima Christi sanctifica me.

EX-

EXHORTATIUNCULA XI.

Ad sollicitos & Christianos Parentes.

I.

Virorum optime! S. Paulus hæc vobis vult innui: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Omnia relinquuntur, modò filii salventur! Secus vobis illud Jobi imputabitur: *Duratur ad filios, quasi non sint sui.* O misera parentum fors! Vitam dederunt: animas negligant? Hinc querelæ D. Augustini: Servant imaginem Cæsaris impressam in nummis: & non servant imaginem Creatoris impressam in anima. Manhu! quid hoc?

Instructio meritoria,

Commendemus filios, & filias singulis diebus sacratissimæ de Jesu, Maria, & Josepho familiæ, totique Marianæ consanguinitati, ac in hujus venerationem recitemus Lytanas de tantis Personis. Ab his ò quæ non speranda filiorum educatio, & domesticorum protectio!

II.

Pater sollicite! noverit utique: *Longum iter per præcepta; breve, & efficax per exempla.* Nihil præstiterit gratius Deo, nihil & sibi, & domui suæ utilius, quàm si bonò exemplò pietatem persuaserit esse suavissimam. O te Patrem felicissimum, si sanctò vivendi institutò consulas saluti domesticorum, pro quibus est mortuus Christus, & quibus sine te fortè Jesu passio

Passio, & sanguis non profuisset. Heu! quid dico? Parenti dixi. satis est.

Instructio meritoria.

Stimulum ut habeant ad virtutem domestici, preces matutinas, mensales, ad salutationes Angelicas, & nocturnas erectis manibus, & flexis genibus ut persolvant, liberè jubeamus, & pari pietate præluceamus. *Efficacius enim vita (teste Cypriano) quàm lingua testimonium. Habent & opera suam vocem, tacente lingua.*

III.

Salus infantium est lucrum parentum. O quale hoc consolatorium Magni Hieronymi effatum! Prudens filius est gloria Patris. Nullum timendum conscientiae tormentum, ubi non deficit cura parentum. In filiis, ait Ecclesiasticus, cognoscitur vir. Pater! ò Mater! nolite parcere labori! nolite curæ & sollicitudini! Ab his pendet gloria Dei, gloria boni Nominis, gloria æternæ felicitatis.

Instructio meritoria.

Summa, & consummata scientia est, ad leges Christianæ virtutis educare domesticos! Sed unde hæc nobis? Per Mariam impetrabitur, si singulis Illius Profestis, atque diebus sabbathinis ad noctem cum tota familia S. Rosarium cum Lytaniis Lauretanis devotissimè flexis genibus orandum constituerimus, ubi Nomen resonat Mariæ, ibi exultat, & repellitur infelix, & miserum Væ Evæ.

EXHORTATIUNCULA XII.
Ad devotos in Parentes filios.

I.

Charissime! tria debet parentibus: *Honorem, obedientiam, amorem.* Quicumque honorat, & parentes diligit, in vita, & morte manet amicus Dei. Et hoc an non justè petitur à filio? Cui enim invigilant? Cui plorant? Cui dolent nisi vobis? Redde quod debes.

Instructio meritoria.

Et reddere possumus, si pro omnibus gratias agentes, eorum manus exosculemur, & in parentum presentia loqui paucissima assuescamus, idque in venerationem, & filialem reverentiam. Pro incolumitate verò Parentum, & felicitate SS. Rosario in fine *tria Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* quotidie annectamus. Beneficia amorem provocant.

II.

Præceptum Domini est: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus, & benè sit tibi super terram. Thesaurizat sibi, qui parentes honorat. Nam pietas ad omnia utilis, habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Maledictus à Deo, qui exasperat! Hinc rejectus Chanaan! hinc & suspensus Absalon.

Instructio meritoria.

Maneamus nos inter pios, & benedicendos, & nunquam eamus in lectum, nisi petita flexis genibus à parentibus benedictione pro nostra in

eos

eos reverentiâ, cui & subjungamus *Novem Ave* in honorem S. Matris Annæ, Jesu Christi Avix nobilissimæ. Anna sit Parentum Custos, & Regula.

III.

Filius, qui vivere desiderat genuinus, ambulet in timore sancto *erga Deum*: In submissione, & modestia pro conservatione *parentum*: in continua circumspectione, & cautela *erga seipsum*. Si hoc: liber erit à Diabolo: liber ab omni corporis, & animæ incommodo.

Instructio meritoria.

Parentes & Tutores habemus in SS. Angelis custodibus. Sunt semper à latere nobis; ne verò sine gratitudine nostra, semel per hebdomadem aut *Lytanias*, aut *officium minus*, aut *clientalem contestationem* erga ipsos die Martis instituamus. Hæc exigit lex amoris. Ne illud audiendum: *Cientes enutrivit, & exaltavit; ipsi autem spreverunt me.*

EXHORTATIUNCULA XIII.

Pro Famulis erga Dominos fidelissimis.

I.

Homo natus est ad laborem, sicut avis ad volatum. Dilecte! in aliqua vel corporis vel animi exercitatione inveniamur semper. Quæ causa? Audiamus ex D. Hier. Facito semper aliquid, ut inveniat te Diabolus occupatum. Ubi otium, ibi pietatis, ac vitæ sanctioris nausea,

& tedium. Nobilis est servitus, non despotica, cui imperat Christiana virtus.

Instructio meritoria.

Sit providus in famulatu suo! Nulla hora sine linea, sine operatione! Ordinare oportet diem: Decet & opus in opus, horam in horam distribuere; secus flebilis timenda temporum, & operum confusio. Ad sonitum horologii paululum nos recolligamus, & unum Ave cum Psalmo de profundis &c. oremus. Plorant, clamant è flammis animæ: & vix audiuntur? O duros mortales!

II.

Servi non sunt, qui Deo, & virtuti serviunt. Fili! ah! fuge peccatum. Hoc solum te constituit diaboli, & carnis mancipium. Gloriosa est Christianorum servitus, si portetur cum libertate, & gaudiò Spiritûs. Qui libertatem spiritûs perdidit, amisit omnia, amisit Deum, gratiam, & gloriam. Et hæc perditio ad quid?

Instructio meritoria.

Servus non est sine periculo. Ut à lapsu præservetur, quotidie sanctos quatuordecim Auxiliatores veneretur, quatuordecim Ave recitando, & eorum S. Imaginem in suo cubili affigendo, affixamque sæpius exosculando. Tot pro uno quid non poterunt coram Deo, ut servant ab omni malo?

III.

Bone! serviamus homini sicuti Christo, & non erit durum, aut difficile, in humano ser-

servitio vivere. Ecce! quid S. Paulus ad suos Ephesios: Servi! obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo: Non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo. Bis dat, qui hilariter ministrat.

Instructio meritoria.

A manè SS. Trinitati opera, & labores totius diei offeramus flexis genibus dicendô duodecim Pater, & Ave cum versiculo: *Deus in adjutorium meum intende.*

EXHORTATIUNCULA XIV.

Pro Conjugibus piè, & christianè viventibus.

I.

Audiat, quid vobis Spiritus sanctus ex ore Ecclesiastici: In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: *Concordia fratrum; amor proximorum; & vir ac mulier benè sibi consentientes.* Pacem habete, & Deus pacis atque dilectionis erit vobiscum. Nil jucundius, nil beatius, quàm habitare in unum, in unum cor! *in animam unam!* Multa quidem corpora: sed non multa corda, ait S. Aug. Vos saltem vestra conservate unitissima.

Instructio meritoria.

Ad exemplum S. Monicae, si quid contentionis, aut iurgii in domo insurgeret, taceamus, &

prudenter dissimulemus, & interim in honorem patientiæ, & mansuetudinis Christi quindecim Pater, & Ave clandestinè persolvamus. His modis cadet furor cum iracundia.

II.

Bone! in re tua domestica non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Optimè præest domui, qui magni tempus æstimat, & nunquam negligit, unde sibi, & suis coronam perennem fabricet pro cœlesti gloria. Ama, & fac, quod vis; tempus optimè impenditur, dum amoris sancto donatur; ecce! consilium Magni Aurelii.

Instructio meritoria.

Summa prudentia, ubi vita ordinata. Ordinemus horas! Disponamus opera, antequam peragenda. Ut omnia fiant cum decenti ordine, statim à matutino tempore Jesum, Mariam & S. Josephum in Rectores, & Custodes nostros eligamus, & Lytanas Lauretanas oremus. Hæc sancta Trias non admittet dæmonis insidias.

III.

Filli! ò quot adversa, contraria, & minùs prospera non quotidie vobis eveniunt in statu vestro! Non velle portare, est jugum Christi abjicere. Quòd, & cur talia feras, novit Ille, qui novit omnia, & scit in tua convertere commoda. Si castigat, Pater est. Non potest esse malum, quod venit de manu Dei. Hinc excipe cum osculo, & gaudens tibi dicito: *Dominus est! quod bonum est in oculis suis, faciat.*

In-

Instructio meritoria.

Sit vobis commendata Benedictinæ Gertrudis pietas, & praxis, quæ sæpius per diem flexis genibus hîsce obtestata Deum: *Fiat in me, de me, per me, circa me, & circa omnia mea, sanctissima voluntas, in tempore, & æternitate.* Charre! sola Dei voluntas, ille est digitus, quò Deus appendit, regit, & continet orbem terrarum.

EXHORTATIUNCULA XV.

Pro Cœlibatum, & Virginitatem colentibus, atque voventibus.

I.

CHARissime! optimam partem elegit, dum soli Christo adhærere, & in statu Virginitatis vivere, & mori decrevit. *Virginitatis enim dignitas* (ait D. Chrysoft.) *quarenda non super terram, sed in Paradiso est.* Si in Paradiso: quid jam amplius vobis cum sæculo, aut aliò sensuum oblectamento? *Virginibus Christus insidet*, loquitur S. Hier. ergò & tenendus, ne vanitas rapiat.

Instructio meritoria.

Si titillent mundi gaudia; si instanter alliciant sensuum irritamenta, corporis solatia, & delectamenta, procidamus coram Crucifixo, filialiter protestantes: *Dixi! Furavi! Delicia mea sunt esse cum Deo, & Jesu Christo.* Mox subjungatur Canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Cui & hunc versiculum inseramus: *Benedicite omnes beati mundo corde,*

& renuntiantes seculo. Virgines semper collo-
quuntur Domino. S. Hier.

II.

Dilecte! ò quid vobis Spiritus sanctus! *Flo-
rete flores quasi lilium* (sunt illius monita)
*date odorem, frondete in gratiam, benedicite Do-
minum in operibus suis.* Ecce! quæ obligatio
vestra? quàm magna, & sublimis! Ut implea-
tis, florete, & constantes estote in vitâ piâ, so-
briâ, & justâ. Inde stabit vestra salus, & Dei
gloria.

Instructio meritoria.

Sed & hoc possumus, mi fili! si in cultu Ma-
riano, & amore Reginae Virginum, Intemeratae
Matris fuerimus devotissimi. Huic à manè per
quinque Ave nostrum S. Virginitatis proposi-
tum commendemus, & per diem cor sæpius
signantes dicamus: *Per S. Virginitatem, &
immaculatam Conceptionem conserva cor, & ani-
mam meam ab omni macula in Nomine † Patris
& Filii † & Spiritûs † sancti. Amen.* Quid
facilius?

III.

Sex sunt, quæ incorruptam conservant Virgi-
nitatem: 1. sobrietas. 2. operatio. 3. a-
speritas cultûs. 4. inhibitio sensuum. 5. raritas
sermonis. 6. evitatio occasionum. Ita Cassio-
dorus. Fili! capimus ista? Nobis sunt dicta.
Teneamus, ne thesaurum cordis amittamus!

Instructio meritoria.

Periclitatur de thesauro, qui hunc portat pu-
blicè

blicè in via. Sapienter S. Bernardus : *Solent Virgines, quæ verè virgines sunt, semper esse pavidæ, & ut cavenda fugiant, etiam tuta pertimescere.* In publico tutum nihil. Ergò lateamus, & cum choro sanctarum Virginum jam jam cum Christò Jesu sponsò suò amabilissimò regnantium in cœlo, hodiè soli agamus, cantantes hymnum : *Jesu! corona Virginum, quæ Mater illa concipit &c.* Sequamur Agnum, quocunq; ierit! Errabimus nunquam.

EXHORTATIUNCULA XVI.

Ad Innocentes, & Parvulos.

I.

Nemo ad virtutem, & Dei gratiam aptior vobis, mi parvule! Hinc vox Jesu suavissima : *Sinite parvulos venire ad me!* Veniat ergò, & occurrat Deo suo! Veniat! sed per submissionem, & reverentiam erga suos parentes: per taciturnitatem, & modestiam in templis: per fugam à malis sociis. Parvule! Quæ placent ista?

Instructio Meritoria.

Non aberrabit ab hac doctrina, si vestra erga SS. Angelos Custodes devotio fuerit constans, & quotidiana. Ideò à manè excitatus statim fletat, & novem Ave recitet cum amoris suspirio. *Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in pralio, ne pereamus in tremendo judicio.*

Ii §

II. Fili

II.

Flli innocentissime! O si vestram, quam adhuc de præsentis possidetis, primam innocentiam servaretis usque ad extremam mortis horulam! Quantum inde gaudium! solatium! pax! & jucunditas vobis! Servabit sine dubio, si verecundiam in moribus, & modestiam in conversatione jugiter coluerit. Pudor in facie, & rubor in genis terrent innocentiaë hostes.

Instructio meritoria.

Sequamur S. Bernardini Senensis adhuc parvuli pietatem, qui, ne à perverſis subverteretur sociis, quotidie adibat ædiculam B. V. cum dicto: *Vado ad Dominam meam.* Mariam diligat, & de sua sibi non timeat probitate. Ecclesias idcirco, & aras sæpius visitet Bmæ Virgini dicatas, Matremque suam salutans genuflexus dicat: *Ave Maris Stella.* Recordetur, Jesum nil Mariæ, & Mariam nil suis negare servulis.

III.

Parvulorum est agere, & vivere cum parvulis! Parvulum habemus in Jesu! Et hunc o quam affabilem! quam jucundum, & amabilem! Stringamus! teneamus! & sæpius cum S. Augustino fraternè veneremur salutandò: *Domine Jesu! Gaudium meum! Attrahere me totum! Tu cibus dulcis! Comedam te! Tu caput meum! dirige me. Tu delictum meum! intra in tuum servulum!*

Instru-

Instructio meritoria,

Benedictum os ! cor benedictum , cui non aliud verbum , quàm Nomen Jesu ! Parvule ! Assuescat manè , meridie , & vespere frontem signare titulò triumphalis Nominis Jesu , & fugient partes adversæ . Tentatur , tristatur quis ? Veniat in cor ejus Jesus ! monet D. Bernardus .

EXHORTATIUNCULA XVII.

Ad Litteratos , & Studiosos.

I.

STude sapientiæ , Fili mi ! Altiora tamen te ne quæsieris , & fortiora te ne scrutatus fueris . Novisse Deum & seipsum est summa scientiarum . Huc ! huc nostra colliment vota , & studia .

Instructio meritoria.

Resistendum ergò nimio curiosa , & inutilia sciendi desiderio . Ne prævaleat , ante studium flectamus , *tribus Pater* , & *Ave* intellectum , voluntatem , & memoriam SSS . Trinitati commendemus , & ab hymno : *Veni Creator Spiritus* &c . studia inchoemus . Ab oratione ò quanti Ecclesiæ Doctores SS . Augustinus , Gregorius , Thomas , & Venerabilis Beda !

II.

PRudentia , ò Venerande ! absque simplicitate malitia est ; & simplicitas sine ratione stultitia est : verba sunt S . Hieronymi . Nos utramque jungamus , prudentiam simplicitati ,

nos ipsos in vita Christiana nunquam negligendô: Et simplicitatem prudentiæ, neminem ob egregiam scientiam contemnendô, traducendô, aut vilipendendô. Quid enim habemus, quod non accepimus? Si autem accepimus: unde præsumamus?

Instructio meritoria.

Prudentes simus: sed non solum nobis, rogat Magnus Basilius. Charitas, si quæ in nobis, diffundatur & in alios. Ut fiat, duodecim Pater, & Ave cum Lytaniis de Spiritu sancto oremus. Sunt huic totidem fructus: Cur non petuntur? Quæruntur?

III.

A Mandissime! Infructuosè laborat, qui quotidie finem non spectat, ad quem nostri dirigantur sudores, & studia. Sed quis finis Christiani solidi, & Litterati sapientissimi? Solus Deus. Pro hujus Nomine vigilandum, studendum, & laborandum quotidie. Ah! quid perduntur tempora, quærendô terrena, corporis commoda, vel nomina vana, fastuosa, inania? Non inscribitur libro vitæ, nisi nomen humilis, & obedientis Christiani.

Instructio meritoria.

Sit tessera actionum: Deo, & aternitati laboro: Ne deficiamus litteris incumbendô, in Ductores, & Magistros nobis quotidianos statuamus, quatuor Ecclesiæ Doctores SS. Hieronymum, Augustinum, Gregorium M. & Ambrosium, eosque de omni die quatuor Pater, & Ave

Ave veneremur, additâ communi collectâ: *Excita, quesumus, Domine! in Ecclesia spiritum, cui sancti tui Doctores servierunt: ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amaverunt, & opere exercere, quod docuerunt.* Tanti hi sunt viri in cœlo! & negliguntur? Ubi ratio? Ubi prudentia?

EXHORTATIUNCULA XVIII.

Ad nobiles, & ab origine claros.

I.

GRande donum de manu Dei nobilitas! At dum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Degenerat, sanguinem deonestat, qui actiones, vel officia non nobiliter tractat, & peccatum amat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis; sola apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. S. Hier. Æstimatio sui est licita, si nos urgeat actio prohibita. Sanctè superbit, qui dæmonem vincit, & peccato non cedit.

Instructio meritoria.

Grati jam sumus SSS. Trinitati, quæ dedit tam nobilem esse, & vivere. Offeramus proin unum speciale de mysteriis Gloriosis Rosarium sacrum, & supplicemus, ut à nobis avertat pericula, animam fœdandi. Sit nobis idem cum D. Augustino desiderium: *Domine! Vim patior! Responde pro me! Malo mori, quàm fœdari.*

II.

Colendissime ! Super alios à Deo exaltati, sublimati sumus. Ergo super cœteros pietate, & exemplis emineamus, necesse est, momente Gentium Doctore : *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & verborum gravitate.* Magna, sublimia hæc sunt ! Tamen à SSS. Trinitate obtinenda. Petite!

Instructio meritoria.

Dum in Ecclesia sumus, sæpius ardens desiderium concipiamus magnæ perfectionis, justitiæ, & sanctitatis. Beati enim, qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Commendo proin D. Augustini desideria rogantis : *Domine Deus ! Da cordi meo te desiderare, desiderandò querere, querendò invenire, inveniendò amare, & æternum possidere !* O nobiles gemitus !

III.

Vir nobilissime, quam pretiosa vobis est anima ! immortalẽ possidet, cujus præmium DEUS ; cujus aula, & palatium paradisus. Et quid ! Hæc nobilis Domina, & potens Regina fiat corporis mancipium ? Famula cupiditatum ? Dæmonis ludibrium ? Ad hæc quid vita ? Passio ? Mors Divini Unigeniti ? Pretium JESU sumus ! Non prodigamus !

Instructio meritoria.

Ne permittat cœlum, mea vobis hodiernæ diei offero suffragia ; simulque suadeo : Fugiat !
Tace-

Taceat! In solo Deo quiescat! Ut autem inter tot mundi laqueos vivat eò firmior, atque securior, in cubiculo triplicem suspendat S. Bernardi doctrinam adhortantis: *Considera: unde venis? & erubescas; ubi sis? & ingemiscas; quo vadis? & contremiscas!*

EXHORTATIUNCULA XIX.

Ad Milites Christianos.

I.

Virorum optime! Fidelitas probat Christi militem. Sic magnus Apostolus: *Certa bonum certamen fidei, & apprehende vitam æternam.* Qui mundi bonis, rapinis, & illicitis delitiis citò capitur, castra refugit JESU, & transit ad diaboli. Sed pro quali stipendio? Dei gratiæ, & salutis æternæ dispendio. O miles Christi! Tantine tantam nobis emamus perniciem, & ruinam?

Instructio meritoria.

Dux noster est JESUS, & hic Crucifixus. Ut soli adhæreamus, quotidie assuescamus venerari illius sacratissima quinque vulnera per quinque Pater, & Ave cum nostrum commendatione devotissimâ. In vulneribus JESU ô quale armarium! Qui eò currit, tutissimus ibit.

II.

Bone! Vultne ad vitam ingredi? Ergo Dei mandata servate! Diligite Deum ex toto corde! Diligite & proximum, sicut seipsum. In his duobus universa lex pendet, & prophetæ.
O quot

O quot inter occasiones! Quot inter & pericula vos estis, frequentius cadendi, DEum offendendi, proximo multa mala inferendi! Sed memores estote, vos Christi portare nomen, cujus prærogativa: *Benefacere etiam his, qui oderunt vos.*

Instructio meritoria.

Horror peccati sit vita Christiani! Amor virtutis sit lorica perfecti militis! utrumque ut tribuat Deus, hodie unum, alterumve sacrum audiat, & sub eo S. Rosarium de quinque mysteriis dolorosis Christo JESU offerat cum pio gemitu: *Domine JESU! Tædeat me vivere sine te! Delectet me autem multa agere, & grandia pati pro te, qui pro me mortuus es in Cruce.*

III.

BONUS miles ad sanguinem, ad mortem usque decertat. Sola coronatur perseverantia! Idè bona quotidie crescant opera! Non terreat virtus! Suspice cælum: & suavis erit. O Vir! Adest in stadio certaminis Deus, ut pugnantem adjuvet: adest, ut & triumphantem gloriosè exaltet. Quid potentius dici posset ad ausus pro Deo? Pro virtute?

Instructio meritoria.

Socius sufficit unus, ut animet alterum. Fili! Leva oculos! Ecce! integrum Sanctorum pro Deo decertantium exercitum! Hi ne pugnantem deserant, per septimanam vel semel saltem cum omni devotionis sensu recitet in venerationem

nem

nem totius Curiaë Cœlestis *Lytanias de omnibus sanctis*. Vel: Tria Rosaria de omnibus quindecim Mysteriis. Faciamus nobis amicos, non de mammona, sed de cœlesti aula. Fratres! Jam non sumus hospites, & advenæ, sed cives domestici, & milites Christi. Vade retro satana!

EXHORTATIUNCULA XX.

Ad Plebanos, & Rusticos.

I.

BOne vir! In sudore vultûs sui vesci debet pane suo. Non contristetur! Non murmuret contra Dominum! Absterget Deus lacrymas ab oculis vestris, & laborem sequetur dulcis requies. Ad laborem nati sumus universi: Sed qui laborant fervidè, sunt paucissimi. Sudemus, ut in vinea Domini operarii inveniantur innumeri. Hoc possumus, dum labori non succumbimus.

Instructio meritoria.

Ne humana nos terreat infirmitas, manè surgentes de lecto citò vestibus induamur, & flectentes cum SSS. Trinitate paciscamur, nil cogitare, nil loqui, vel operari nos velle hac die, nisi in & pro nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Mox duodecim Pater, & Ave cum totidem *Gloria Patri* subdamus. Surgentes verò domum benedicamus, Crucifixum in dextera tenentes, & versus quatuor domûs angulos flectentes pronuntiandò: Benedi † cat
nos

nos Deus Pater, Fi ⁊ lius, & Spiritus ⁊ Sanctus. Sic sic avertemus, si quæ fortè meruimus, flagella Domini.

II.

Fili! simus contenti statu nostro! Non invidemus, quos Deus posuit in meliori. Securior ad cœlum via est in humilitate, & penuria rerum, quam in nobilitate & abundantia. Ubi divitiæ, & honores, ibi & sollicitudines millenæ, ne auferantur, vel pereant. Sola paupertas semper hilaris, semper eadem permanet vultu, & animô. Ideò S. Hieronymus: O quanta beatitudo, carere parvis, ut recipiamus perpetua!

Instructio meritoria.

Pro statu, ad quem tam providè nos vocavit Deus, gratias agamus! Simus & gratissimi, quia nati à parentibus non ita potentibus. In compensationem beneficii tanti addictissimi vivamus prodigiosæ ætati Christi JEsu, & in honorem illius aliquoties per hebdomadem recitemus 34. *Pater, & Ave*, benè memores: *Nudus, pauper, inops est JEsus*: Quid ego.

III.

Dilecte Vir! Magna est vobis indita necessitas, justè, & rectè, ubi ubi fuerit, sive domi, sive in agro, sive in foro, vivendi; quia cuncta facitis ante oculos Judicis cuncta cernentis. Quare in omnibus viis cogitate illum, & ipse diriget gressus vestros. Non irascimini, si opera
vobis

vobis successerint minùs prospera! Dicite: *Fiat, quod bonum in oculis Domini!*

Instructio meritoria.

Dum opera, & labores aggredimur, flectamus antea, & tribùs *Pater & Ave* cum *Credo* Dei imploremus auxilium, atque assistentiam. Hanc consuetudinem si induxerimus, quàm benedicta erunt opera nostra! Quàm sancta, & perfecta œconomia domestica! Sentient infantes! Sentient oves, & boves! In quibus omnibus manifestabitur Dei clementia.

EXHORTATIUNCULA XXI.

Ad tepidos, frigidos, & otiosos Christianos.

I.

Fili! Usquequò pigri, & desidiosi dormiemus? usquequò de torpore, & somno mortis non consurgemus? Hora est! Surgamus! Grandis nobis restat via! Ad æternitatem pergimus: & otiosi, frigidi stamus, tepescimus, pigritamus? Currendò scanditur cœlum! otiandò perditur! Nemo manibùs in sacculo absconditis sibi thesaurizat. Dilecte! Quæ verba sunt ista? Dicta sunt ad vestram doctrinam: Capite! Ardete!

Instructio meritoria.

Cessat vitæ desidia, ubi ad opera diei applicatio sui seria. Multiloquia fugiamus! Otia forensia deseramus, & piis de manè factis propositis efficaciter insistamus. Sic erimus in igne. Hunc fervoris ignem ut accendamus magis, co-

ram

ram SS. Venerabili Altaris Sacramento officium de Corde Jesu recitemus. idque quò frequentius, eò ad profectum spirituales conducen-
tius.

II.

Fidelis anima! è veterno vos excitet, & ad magnum in actionibus fervorem vos animet felicitas eorum, qui vivunt sinè torpore. Hi enim semper currunt, continuò in spiritu proficiunt, merita augent. Vix momentum, quod non suum habeat præmium. Terreat econtra infelicitas tepidorum! Tepidam vitam excipit mors plerumque plena angustiis; sententia tremendi Judicis; combustio infernalis. Jam securis ad radicem posita est: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Heu! Heu! Heu! Quid damnosius desideria?

Instructio meritoria.

Amemus & quæramus conversationem cum hominibus spiritu, pietatèque ferventibus. Antequam frequentemus, gratiam ædificatoriè, & exemplariter conversandi petamus à Spiritu Sancto per septem *Pater*, & *Ave*, additò hymno: *Veni Creator Spiritus!* Qui venit à Deo, non scit, nisi bene loqui de eo.

III.

CHare! Unde nobis tanta in spiritualibus recordia? Siccine labores, rigores, mortificationes fugimus? Non placet corpori tam durum, atque diuturnum vivendi genus. Horret
animus

animus, dum annos adhuc quadraginta, aut quinquaginta superstites numerat asperioris vitæ. Verum quis diem alterum nobis promisit? Ah! Non simus solliciti de crastino! Hodie agamus, quod conducet in omnem æternitatem. *Citò transeunt dies nostri, utinam bene!* Cæsarius.

Instructio meritoria.

Timorem erga virtutis exercitium ut statim in principio reprimamus, duodecim actibus vel rigoris, sive alterius mortificationis v.g. tempore recreationis, aut corporalis refectionis reflexè statuendis naturam corruptam generosè impugnemus, memores, quid S. Paulus ad Galatas: *Sic stulti estis, ut, cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.*

EXHORTATIUNCULA XXII.

Ad Garrulos, & multiloquos.

I.

Fili! Qui custodit os suum, custodit animam suam. Summa difficultas in linguæ gubernio. *Linguam enim nemo hominum domare potest*, ait S. Jacobus. *Quare? Quia est inquitum malum, universitas iniquitatis, plena venenò mortiferò.* Quis tam labili jam fidat membro? Quis multiloquia diligit?

Instructio meritoria.

Excessimus sapius. Luamus! Satisficiamus hodie psalmos pœnitentiales recitandò, & in venerationem Divini Verbi pro nobis incarnati trigies quater terram, dum soli fuerimus, ex-
oscu-

osculandô. Optima linguæ medicina hæc terræ oscula!

II.

Dilectissime! Ex verbis nostris justificabimur: & ex verbis condemnabimur. Linguam accepimus, ut laudem annuntiet Domino, & salutem proximo. Ad quid jam tanta illius profanatio? Toties rubescit pretioso JESU sanguine? Et tamen, ô nostram ingratitude! tam frequenter repletur multa iniquitate.

Instructio meritoria.

Reddamus, quod negleximus. Laudem dicamus Domino Deo, & in compensationem omnium defectuum, quos in lingua commisimus, novies hodie cantemus Mariæ Canticum: *Magnificat anima mea Dominum.* Loquamur ut Maria!

III.

AMice! Nobile lingua bonum! Gravissimum lingua malum! multis profuit ad bonum! Plurimis ad infernum. Garrulos fuisse, poenituit omnes! Parcos, vix aliquem. Faciliter loquimur: sed difficulter, quæ diximus, retractamus. In lingua mors & vita. Dilecte! volumus loqui bene? Discamus multum tacere! Vir haud audit, qui linguam regere nescit.

Instructio meritoria.

Tria statuamus nobis observanda pro tempore, & loco conversationis! videlicet: *Parce! Cante! Graviter* dicamus. Ideò publicum nunquam accedamus discursum, antequam coram San-

San-

Sanctissimo Venerabili, vel alia S. Imagine benedictionem petierimus recitandô in reverentiam septem verborum morientis Jesu totidem *Pater & Ave* ac unum *Credo*. Sancta sanctè tractentur. Verbum nostrum sit Verbum Christi! Quod ultra est, peccatum est!

EXHORTATIUNCULA XXIII.

Ad Detractores, & infamantes proximum.

I.

CHare fili! Cum sapiente te rogo: à detractio-
ne parcite linguæ! Omnis detractor est odibilis Deo, & pejor diabolo! Nullus diabolus detrahit alteri! Ah! Ubi proin charitas proximi? Ubi custodia præcepti divini? Ubi imitatio Jesu Christi per S. Joannem monentis: *Filioli! diligite vos invicem! Et si dilexeritis, legem implevistis.*

Instructio meritoria.

Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Imminuimus bonum nomen! Sit fixum ampliare, laudabilia narrandô, pro offenso speciale Rosarium orandô, & de hoc peccato nos sapius in S. Tribunali accusandô in majorem confusionem linguæ mordacis, & incautissimæ. Bestia cicuratur: & de fræno linguæ desperatur? O homo! Ubi prudentia?

II.

O Infelicem! Christianus non est, qui detractor est. Quicumque talis est, minister

ster (pauca dico) quin & magister diaboli est. Probatur. Detractor, quæ diabolus non potest, suâ efficit linguâ improbâ, de qua bene S. Bernardus: *Lingua detractoria est vipera, & lancea acutissima.* Tres ictu enecat uno: Et amatur? Fovetur? Laxatur?

Instructio meritoria.

Ne iterum tam citò delinquamus in lingua, in corde, & cubiculo, Moysis suspendamus tesseram: *Attende tibi.* Ideo per octo dies Rhythum Divi Augustini dicamus quotidie: *Domine! Noverim te! Noverim me!* Amice! Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in proprio non vides? Væ oculo nequàm!

III.

CHristiane! Melius est bonum nomen, quàm divitiæ. Hinc curam habe de bono nomine. Hoc magis permanebit, & diutiùs, quàm mille thesauri pretiosi, & magni. Detractor dum vel os aperit, nomen cum omni æstimatione amittit. Fili! Profectò omnibus erimus odio, quotquot credidimus, attentis nostro discursui intendisse auribùs. Audierunt, ut nos impòsterum fugerent. Audierunt, ut scandalò datò nos confunderent. Sed quàm turpe in Christiano, fieri metam scandali, & confusionis!

Instructio meritoria.

Pro recuperando honore boni, & æstimandi nominis, eoque perpetualiter conservando recitemus quinque Psalmos nomen Mariæ exprimentes,

tes, immixtis tot salutationibus angelicis. *Teneamus Mariam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim. S. Bern.*

EXHORTATIUNCULA XXIV.

Ad Mendaces, & Falsarios.

I.

O Bone! exulat Deus, ubi nulla veritas. Non benè conveniunt, nec in una sede morantur Deus, & mendacium. Viri perfecti omne mendacium fugierunt ut scelus maximum: Et Christianus hauriat ut aquam? Quæ hæc statûs adèò nobilis decentia? Ah! incautum Mortalium os!

Instructio meritoria.

Comprimamus, & custodiamus nostrum. Ut à Spiritu Sancto impetremus donum veritatis, recitemus Illius officium minus cum Lytaniis de eodem veritatis Magistro. Dein septies exsculemur terram cum dicto: *Os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent, flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.*

II.

Fili! ut quid mentimur, & ipsi nos seducimus, inferentes crimen gloriæ nostræ? mentiri pueris, & mulierculis familiare est. Erubescamus velle esse de genere tam vili! Toties labia signamus Nomine Jesu: & tam probrosò contaminamus vitiò. Quid si irasceretur Dominus? Nam *perdet omnes, qui loquuntur mendacium.*

Instructio meritoria.

Nomen Jesu, ò potens Verbum! Ut labilem sanet linguam, membrum adeò infirmum, officium & Lytanas de eodem Benedicto Nomine dicamus, & os hodie duodecies devotè signemus pronuntiandò: *Benedicamus † Patrem, & † Filium, & † Spiritum Sanctum. Laudemus & superexaltemus eum in secula* Hæc verba, hæc nomina Christianos decent.

III.

Dilecte! O quot sunt hominum, quorum vivere continuum est mentiri; simulatâ probitate imponunt omnibus. Quàm pauci volunt videri, quod revera sunt! Fili! novit nos Deus. Frustra celamus coram homine scelera nostra. Deus erit Judex, & vindex eorum. Imminet dies! Appropinquat hora! Detrahetur hypocrisis larva! Patebunt omnia. Bene S. Augustinus: *Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest. Florere ad tempus potest iniquitas, permanere non potest.*

Instructio meritoria.

Capimus hanc doctrinam? Ergo ad executionem! Vitam, mores, dicta, & facta in hodierno examine discutiamus, & quia Deum, ac hominem sæpius decepimus, extraordinariam confessionem cum sacramentali Communionem instituamus orandò psalmos graduales. Per gradus ascenditur ad montem veritatis, justitiæ, & Christianæ perfectionis.

EX-

EXHORTATIUNCULA. XXV.

Ad Immodestos, & Dissolutos in oculis,

I.

AMicissime! Quid sibi frivola curiositas? Hæc quantum obfuit Evæ, Davidi, Samsoni, Holoferni? Sumusne his tutiores? Vel plus quam homines? Et tamen oculis tam liberi, laxi, & effusi evagamur? Citò! citò claudantur! *Mors enim ascendit per fenestras.*

Instructio meritoria.

Sit firmum, & fixum, hodie sæpius tollere ad sidera vultus cum gemitu: *O quàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio.* Et ut in virili modestia, ac gravitate crescat, ter coram Crucifixo flectat, & clausis penitus oculis, ac inclinatio capite oret in honorem s. sensuum Christi Jesu *quinque Pater, & Ave.* Oculum pro oculo! Modestum pro modestissimo.

II.

Charissime! cur volumus videre, quod non licet habere? Cur vana, ridicula, curiosa, & noxia, quæ cor non fatiant: sed turbant; non recreant, sed inquietant. Latet intus, quod intueamur, & intuendò delectemur, videlicet bona conscientia, virtutibus, & meritis plena. Hæc in eo perit, qui oculum non custodit. Cavete! Claudite!

Instructio meritoria.

Modestia, & verecundia vestra sit nota omnibus hominibus. Hæc maximus decor est in

religionibus. *Sine verecundia*, ait Tullius, *nihil rectum esse potest, nihil honestum*. Non sumus proin familiares sceminis! Has fugasse, est cœlum expugnâsse. Sanctum odium ut erga hunc sexum nutriamus, *quinque Ave* in honorem Immaculatæ Virginis Mariæ statim, quando surgimus, à manè persolvamus. Novisse Mariam, & hanc unicam, pertinet ad perfectam animam.

III.

AMice! Damnabilis curiositas est, intendere aliorum vitiis. Rogo: Nobis ipsis attendamus! Quid enim videmus festucam in oculo fratris, & trabem in nostro non attendimus. Quæ hæc hypocrisis, & Pharisæorum impietas? Non in proximos, sed in terram oculi defigantur adeò temerarii, ut suam cognoscant miseriam. De terra sumus; & brevî revertemur illic. Ad quid tam elata in alios supercilia?

Instructio meritoria.

Malo tam infelici ut seriò remedeamur, ad omnia, quibus fortè tentabimur hodiè, judicia frivola nos ipsos generosè increpemus illud Christi Domini opponendò: *Quid ad te? Tu me sequere*. Et quia judicandò alios frequenter deliquimus, diluamus opera totius diei hodiernæ donandò illis, quos aut verbò, aut cogitatione, aut ipsò factò contristavimus, & offendimus. Pro confirmatione pietatis addamus Lytanas de omnibus Sanctis. Amicos, & Advocatos invenit, qui Sanctos colit.

EX-

EXHORTATIUNCULA XXVI.

Ad Audientes malè.

I.

Flli mi! Si te laetaverint peccatores verborum lenociniis, adulationibus, & blanditiis. ut curras ad iniquitates, ne acquiescas illis. Sepi aures tuas spinis Christianæ prudentiæ, & circumspeditionis! Averte oculos! Fuge! Fuge! mali sermones animæ, & pacis internæ latrones sunt. Fuge! Cave, ne audias, unde pereas.

Instructio meritoria.

Signemus, quoties in publicum prodimus, aures signò S. Crucis cum dictò: Benedi † cat, & cu † stodiat vos omnipotens Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen. Et ne quid sermonis minùs honesti auditum occupet, aures amandissimi Jesu veneremur *quindecim Pater, & Ave* cum oratione ex Dominica 9. post Pentecosten: *Pateant aures misericordie tue Domine precibus supplicantium, & ut petentibus desiderata concedas; Fac eos, quæ tibi sunt placita, auscultare, atque audire.*

II.

Dilectissime! utinam saperet, & intelligeret, ac novissima provideret! Si saperet, quæ Dei sunt; si intelligeret, quæ sunt mundi; si provideret, quæ inferni sunt, profectò ad infernum contremisceret, superna appeteret, homines non audiret, & quæ vel sub manu, vel auditu sunt, contemneret. Verùm ò quoties nobis cordis caligat oculus!

Instructio meritoria.

Supplicemus per merita SS. quatuor Ecclesiæ Doctorum pro circumspectione Christiana, & flectentes ad cœlos clamemus: Da mihi Jesu! sedium tuarum assistentem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam, atque audiam, quid acceptum coram te.

III.

Bone! Avertat cœlum! ne audiat detractorem. Hunc aut fugiat, aut opportunè importunè compescat! Nihil enim prodest vobis; vel inde gravabitur super illum, cujus nomen patitur; vel super eum, qui detrahit. Quærat potius, quod proximo laudabile, & meritorium sibi. Qui detractiones audit, semetipsum occidit. Quanta crudelitas!

Instructio meritoria.

Fuga est optima contra detractiones tutrix, & custodia. Nemo cogitur, ut audiat malum. Datur ergò effugium, & à tali occasione rectà viâ aut ad templum, aut ad cubiculum pergamus, & flectentes coram piâ Imagine psalmum: *Deus in Nomine tuo saluum me fac &c.* subdamus. Hic clamor penetrat cœlos, & terret inferos.

EXHORTATIUNCULA XXVII.

Ad Gulosos, & circa cibum, ac potum
immortificatos.

I.

Quod Ecclesiasticus: omni prudenti, idem dico & ego filio spirituali: Fili! noli esse
avidus

avidus in epulatione, & non effundas te super omnem escam. Ex hac effusione oritur inepta animæ lætitia, impuritas, hebetudo intellectus, tædium orationis, ac dissolutio morum. Optas, ut tibi sit longior ætas? Pone aviditati metas.

Instructio meritoria.

Certa statuatur mensura in cibo, & potu, quam ne excedamus amplius, SSS. Trinitati ad quamlibet refectionem unum cibum reflexè ex integro offeramus, & locò hujus spiritualem communionem instituamus. Post mensam psal-
mum *Miserere* persolvamus cum singulari mentis compunctione. Citò in gustu deficimus!

II.

Dilectissime! Nunquam cogitavit bonus fieri Christianus, qui non didicit frangere gulam. Nunquam credat, se vivere spiritu, qui suò nimium ducitur, ac regitur gustu. Nunquam gustabit spiritualia, qui totus fertur in sensualia. Oportet Christianum sumere, quò sustentetur; illud verò abominari, quò satietur, aut impinguatur. Paucis! Heu! foras! foras ex domo Dei cum pinguibus tauris.

Instructio meritoria.

Donum temperantiæ, & abstinentiæ per generosam appetituum expugnationem, & victoriam ut obtineat, in honorem omnium SS. Monachorum, & Eremitarum, qui hīs virtutibus eminuerunt insigniter, recitet ante refectionem quotidie quatuor Pater & Ave, immiscendò quatuor virtutes Cardinales, vid. *Prudentiam,*

Justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Magna dantur solis petentibus.

III.

O Fili! Non est regnum Dei esca, & potus: sed justitia, pax, & gaudium in Spiritu S. Tam brevis est ciborum voluptas, ut spatium loci vix sit quatuor digitorum, & spatium temporis vix tot momentorum; & tamen adeo absorberemur, ut Dei, & cœli obliviscamur. Statuamus tandem cultrum gutturi nostro, quô & in hac vita gustemus, quàm suavis sit Deus, & in altera repleamur torrente voluptatis æternæ.

Instructio meritoria.

De quolibet cibo bolum unicum saltem, vel alterum ex delicatioribus epulis sacrificare Christo pro semper statuamus, nec extra prandii, ac cœnæ tempora aliquid unquam admittamus sine necessitate. Frequens in corde, & ore sit nobis Psalmus: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* cum Rhythmo amoris: *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi &c.* Desipit, quidquid amor Dei, aut cœli non condit.

EXHORTATIUNCULA XXVIII.

Ad Superbos, & elatos.

I.

Charissime! Nondum ex inferis percipimus fastuosorum lamentabiles ululatus: *Quid profuit nobis (vociferantur:) superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Transierunt

runt ut umbra! & relicta nobis sunt tormenta perpetua. Ecce! hæc superbix relicta hæreditas! infelix æternitas! & justissimè! Odit enim Deus superbos; exaltat verò humiles. Jam elige!

Instructio meritoria.

Ut eligamus prudenter, & nobis nunquam quid tribuamus vel de donis Dei, aut bonis naturæ, hodiè adhuc illam S. Bernardi conscribamus sententiam, & conscriptam cubiculo appendamus: sic sonat: *Descendamus per viam humilitatis, ponaturque nobis primus gradus ejus nolle dominari; secundus velle subjici; tertius in ipsa subjectione quaslibet contumelias, & injurias equanimiter pati.* Oremus frequenter psalmum: *Domine! Non est exaltatum cor meum!* Nescit seipsum, qui magnum de se concipit sensum.

II.

AMicissime! Nihil est miserius, nil infaustius, nil damnabilius christianò superbò, & fastuosò. Nomen portat nudi, pauperis, derelicti, ac inopis Jesu: & ipse incedit grandis in ore, elatus in opere, superbus in conversatione? O cinis! O pulvis! Memento; quia lutum es, & in lutum reverteris. Christiane! Deum nunquam cognosces, si te non humilies. Ideo Cyprianus: *Ut cognoscere Deum possis, te antè cognosce.*

Instructio meritoria.

Tota ætas Jesu, cujus fratres sumus, quid fuit

fuit nisi constans obedientia, submissio, humilitas profundissima? Veneremur per 34. *Pater*, & *Ave*. Dabitur, quod frater petit à fratre. Petamus autem plurimum perfectam humilitatem, quæ rectâ viâ ad patriam cœlestem. Qui magna, & multa possidet, abjiciat, ut nudus nudum Jesum videat.

III.

Fili! quantò major es, eò demitte te inferius; & coram Deo invenies gratiam. Et ò quàm profundè nos oportet submittere, quorum nasci, fletus: quorum vivere, miseria: Finis, mors & æternitas incerta.

Instructio meritoria.

Gaudeamus, si vel ab aliis contemnamur, vel injuriis afficiamur. Qui nos offendunt, nostri benefactores sunt. Hinc bonum pro malo retribuamus, & pro omnibus malefactoribus recitemus Psalmum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Imbellis est animus, quem obvia fatigat injuria.

EXHORTATIUNCULA XXIX.

Ad Jactabundos, & vanè glorianes.

I.

STa fili! Et quid Magnus Gregorius contra jactantiam, cum timore considera. *Consideret homo (suadet Doctor sanctus) quid elatus homo mereatur in terra, si etiam elatus angelus prosternitur in cœlo? Si Deus sic egit cum angelo jactabundo: De homine quid fiet, cum sit pulvis*

pulvis, & cinis? Ille in caelo intumuit, & precipitatur ad inferos: Quò vult homo, si jactantiam foveat in sterquilinio?

Instructio meritoria.

Omnia sive naturæ, sive gratiæ dona à manu Dei sunt. Nos pauperes, & mendici, horum maximè indigi. Reddamus igitur, & fideliter impendamus illi, cujus sunt. In retributionem verò tantorum beneficiorum dicamus psalmum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, que intra me sunt, Nomini sancto ejus, &c.* Gratiarum recognitio est novarum impetratio.

II.

Dillecte! Vis tibi dicam, quantum bonum sit modestia? Quantum malum jactantia? Ecce! peccator justum superavit, & publicanus Pharisæum triumphavit, sicque verba factis fuerunt superiora. Ita S. Chrysostomus: Fili mi! Thesaurizaveris jam tibi opera, & merita omnium Sanctorum; Possideas integrum sanctitatis, & gratiarum cumulum! Non diu stabunt! Jactantia & elatio subvertent hæc omnia, & his adhuc pretiosiora. Profectò utilius est quòcunque labi vitiò, & humiles post lapsum fieri, quàm per elationem superbire. S. Isid. corrupta est mens, & anima, cui dominatur jactantia.

Instructio meritoria.

Superbas cogitationes hodie ad Jesum Christum allidamus, nos intra nos reflexè sexies despiciamus, & ter Psalmum Miserere expansis

brachiis persolvamus, cum trina protestatione: *Non nobis Domine! non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Sanctus! Sanctus! Sanctus Dominus Deus Sabaoth! Quis ut Deus?

III.

A Mandissime! Estote prudentes, sicut serpentes! Nulli date unquam intelligere de aliquo, quod in vobis est commendabile, vel laudabile. Quod si intelligant: Citò abscondamus. Sic plus placebimus; si ipsi facta prodimus, & commendamus, irridebimur, & vilescemus. Et undè priùs ædificabantur alii in nobis, postea despicient, judicabunt, condemnabunt. Teneat jam sola dextera, quæ non revelanda sinistra. Non hominum, sed Dei oculo nostra pateant virtutum opera. Hic solus discernit inter bona, & mala.

Instructio meritoria.

Omni plausum, & laudem, imò vel utriusque umbram à longè fugiamus. Latere quæramus. Non latet, qui soli Deo, & cælo patet. Ut spiritus compunctionis, & humilitatis internæ nobis tribuat misericors Deus, honoremus quotidie per *quatuor Pater, & Ave* sanctè pœnitentes SS. Mariam Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, & Theodoram. Hæ specula sunt genuinæ humilitatis, ac pœnitentiæ. Demum oremus psalmum: *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis.* Qui secuti fuimus peccantes, sequamur & pœnitentes!

EX-

EXHORTATIUNCULA XXX.

Ad Avaros, & Divites.

I.

BOne! Cur ita inquietus? Cur ita anxius? Nunquid pacem amisit? Et id quomodo? nonne quia divitias, & mundi bona Deo præposuit, & marsupium plus propriâ salute æstimavit? Justè proin Gregorius Magnus: Rarum valde est, ut, qui aurum possidet, requiem inveniat. Per diem millenæ cor exagitant curæ; per noctem undique terrent insidiæ. Interim ô quanta pax! Quanta tranquillitas in domibus pauperum!

Instructio meritoria.

Bona verba, amicabile alloquium tribuamus egenis, & miseris, si qui hodie rogaverint stipem. Et ut pauperes à domibus nostris coram Deo omne malum avertant, eis quid certi per septimanam statuamus in eleemosynam congruam. Eleemosynis redimuntur peccata, & severa placatur Dei justitia. Væ enim divitibus!

II.

ODilecte! Grandis tentatio, velle fieri divitem! Procul à pecunia! Hæc enim animæ ruina. Pecuniam non minus conscientiam, quam manum, quâ tractatur, inquinat, & commaculat. Qui pecuniam amat, venalem habet animam. Pro quo? O dedecus! Pro luto; pro sordibus terræ. Ah! Quis non jam miseretur JESU? Quis non indignetur diviti?

Instructio meritoria.

Gratissimus vitæ, Passioni, & Morti Christi Jesu Redemptoris (hîs nos emerat in cœlum) & in compensationem tanti amoris triginta quatuor Pater, & Ave oremus cum doloroso hymno ex Dominica Passionis: *Pange lingua Gloriosi prælia certaminis* &c. O divites! Vita, sanguis, vulnera Jesu clamant ad vos! His thesaurizate! Et avaritiæ parcite!

III.

Flli! Ad quid Christiani vocamur, si opera si doctrinam non facimus Christi? Jesus propter nos factus est egenus: Jesus præcepit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, que possidet, non potest meus esse discipulus.* O infelicitas, si cupimus divitias! Pereant hæ nobis, ne illis pereamus nos! Nudus pendet de Cruce mundi Redemptor! Pependit satis! Redimamus generosa renuntiatione, & contemptu bonorum hujus sæculi. Nemo ditior paupere Christo.

Instructio meritoria.

Pro nomine Christiani agamus gratias SSS. Trinitati, & 12. actus abnegationis quoad cupiditatem multa, & nova, ac superflua habendi offeramus cum Psalmo: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino: Deus meus es tu: Quoniam bonorum meorum non eges.* Tam deest Avaro, quod habet, quam quod non habet. Cape tibi hoc! Et illud retine bonum,

num, in quo sunt omnia bona! Posside, stringe, amplectere Deum!

EXHORTATIUNCULA XXXI.

Ad Invidos, & improbè zelosos.

I.

Virorum dilectissime! Quisquis es, qui salutem, & forti invides alienam, parcito vitæ! Si enim, ubi invidia, ibi mors: profectò non potes simul invidere, & vivere. Invidus sese suò inficit venenò, & enecat. O ergo Basilisco simillimum!

Instructio meritoria.

Oculus ubi simplex, & humilis, totum corpus lucidum erit. Claudamus oculos ad aliorum acta, & facta! Si bona sunt, commendemus, & approbemus, si mala, in nobis ipsis emendemus, & timeamus! Et ut Christiani & proximi nostri omnes de virtute in virtutem currant, imploremus duodecim sanctos Apostolos, charitate in proximum præcipuos, & cum 24. Pater ac Ave quoque hymnum: *Exultet cælum Laudibus* &c. oremus. Sunt missi à Deo. In quem finem? Ut corda excitent fidelium.

II.

O Dilecte! Cautè! Cautè vivere oportet in hoc delicato sæculo: non tutus locus à turpi invidiæ vitio. Invidia nascitur in aulis, nutritur in religionibus, moritur in Xenodochiis, adeoque difficile est, invenire etiam paucos, li-
vore

vore non corruptos. *Quis enim ille* (interrogat Salvianus) *cui parum non sit, si sit ipse felix, nisi alter fuerit infelix?*

Instructio meritoria.

Hic magnæ de nobis requiruntur victoriæ. Tres hodie colligamus, gratias nimirum agendô SSS. Trinitati, quòd proximus plus bonorum obtinuerit, quàm nos. Quòd & Deus nos ex defectu, ac subtractione aliquorum donorum in sancta humilitate incedere providè ordinaverit. Hinc dicamus Psalmum: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* Ipse fecit nos, & non ipsi nos.

III.

BOne! Quando finis torturæ, quam sponte patimur invidendô? Gaudere de malis aliorum quid est aliud, quàm de alienâ pœna sibi quærere medicamentum, & de salute acquirere grande tormentum? De aliorum malis gaudent invidi. De profectibus lugent bonorum: ad gaudenda anxii, ad plangenda læti: amici diaboli, inimici sui, omnibus odiosi. Ita D. Augustinus.

Instructio meritoria.

Dirumpamus, abjiciamus hæc animæ tormenta! Et ut Divinus Amor ulterius stimulet bonos ad opera magna, & heroica! malos verò revocet à via iniquitatis, atque desidiæ, omnes devotiones, suffragia, ac preces currentis diei pro his offeramus, & in bonis semper gaudere; in malis verò Jesu, & proximo compati,

firmiter

firmiter decernamus. Charitas benigna est!
Non agit perperam! Non inflatur.

EXHORTATIUNCULA XXXII.

Ad Inobedientes, & Contumaces.

I.

Fili! Ab inobedientia, & mala voluntate tua
avertere! Propria voluntas semper inimi-
ciatur. Non majoribus acquiescit, non reverer-
tur, non obtemperat, nulli subesse potest, nec
vult; nec commoditate flectitur, nec minis hu-
miliatur. Insensibilia se submitunt Deo. Sol à
sua non deviat semitâ, nec luna, nec stellæ.
Obediunt Deo omnia: solus resistit homo. O
sancta obedientia quàm vilis es carni, & sæculo!

Instructio meritoria.

Vita JESU quid erat nisi una, constans, quo-
tidiana obedientia? Ut tanta sequamur vestigia,
offeramus obedienti Domino duodecim actus
abnegandæ voluntatis propriæ, videlicet duo-
decies eligendô id, quod ei magis contrarium.
Interim in honorem septem Verborum morien-
tis ex obedientia JESU 14. Pater & Ave subjun-
gamus. Pergamus ad Calvariæ montem! In-
spiciamus Exemplar! Confundetur in obedi-
entia!

II.

Dilectissimi! Dum putamus nos in electione
prudentissimos, sumus non rarò stultissi-
mi. Quò magis enim nostris studemus obsequi
voluntatibus, hoc magis anxii, & tristibûs ani-
mis

mîs vitam agemus. Qui se per inobedientiam quærunt, se perdent, & desolationes invenient. Quid speras, quod nemo inobedientiâ obtinuit? Quamdiu tuam alienæ non subjeceris voluntati, infelix inter spinas, & mille inquietudines ingemifces. Tandem sapere incipe!

Instructio meritoria.

JESUS, & Maria ô qualia obedientiæ specula! Imploremus per quindecim Pater, & Ave, & hodie reflexè in honorem Utriusque sex actus sanctæ Obedientiæ nobis imponamus, tres quo ad distributionem temporis, eam exactiùs observandò; & alios tres in expeditâ executione functionum, has perfectiùs peragendò. Obédire Imperatori, summus in orbe honor est: quid erit in cœlo, se subdere Deo, & hujus Vicario?

III.

BOne! Bella bellis omnibûs inquietiora tua concitabit pertinacia, & inobediens voluntas, quamdiu imperabit, hostem ni hunc subigas in tempore, de pace, de spiritali cordis gaudio, de viva fide, aut ardenti charitate nil cogita. Dicet: Pax! Pax! Et non erit pax! Bella movebit intus, & foris. Bella ex insidiis nunquam prævisis, aut præcogitatis. Hostem ergo novimus? Pacem poscimus? illum invadamus! Hanc teneamus!

Instructio meritoria.

Ut autem perpetuò, invocemus sanctos omnes, & singulos, qui præcipuè in nobili Obédien-

dientia eminuerunt. Et in honorem eorum dicamus Psalmum: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in Excelsis* &c. Sancti in pace sunt! Nullus in cœlo locus reuentibus! Nullus inobedientibus! Quæ spes contumacibus?

EXHORTATIUNCULA XXXIII.
Ad Iracundos, & Impatientes.

I.

Fili mi! Cur tristis est anima tua? Non se exferit virtus, cum vita secundo cursu procedit. Tunc apparet, quanta sit, cum, quod sit, patientia ostendit. Non est magnus animus, quem obvia irritant, vel terrent; nec sat spiritus generosus, qui tantum prospera ambit. Non vis esse iracundus? Tibi impera! Time, dum inter hilaria! Gaude, dum inter tristia! Hæc nunquam errandi regula!

Instructio meritoria.

Sancti Martyres, ut potenter nostram suffultiant impatientiam, aut penitus de cordibus tollant, pro eorum gloria oremus tria Cantica de communi Martyrum cum *Te Deum Laudamus*. Potentes sunt! Clamemus! Non passioni cedamus! Ad cœlum ingemiscamus!

II.

Anima Christiana! cum ira nihil rectè, nihil consideratè, & laudabiliter fieri potest. *Quæ enim cum perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt; nec ab aliis, qui adsunt, prebari, Irascimini! Sed nolite peccare! Irascimini*

mini

mini passionibus, rebeli amori! Voluntati provocanti! Taliter irasci sanctum est.

Instructio meritoria.

Maximum remedium iræ est mōra. Commoti quiescamus, & omnem impetum coerceamus. Ubi commotio fortior, flectamus, Crucifixum arripiamus, quinquies exosculemur, & triginta quatuor Ave salutemus. Cessabit impatientia, dum JEsus inter oscula.

III.

Dilecte! Nec naturam accusemus, dum irascimur. Sed iram non possumus vitare, temperemus saltem. Si non possumus cavere, cohibeamus. Teneamus silentium patientiæ. Tacendō vincimus citiùs. Quo minùs quis preserit iram, eò fortiùs premitur ab illa. Natura arte perficitur: Quantò magis virtute, lenitate, patientiâ, fortitudine?

Instructio meritoria.

Vince in bono malum, est Apostoli monitum. Ut sequamur, urnulam nobis præparemus, & quotquot nostrum victorias per diem de nobis reportaverimus, tot schedulas urnæ injiciamus cum tessera: *Soli Deo honor.* Hi thesauri! Hi sunt sacculi, quos patiens & mitis JEsus à nobis expectat. Impleamus! Nulla dies sine victoria.

EX-

EXHORTATIUNCULA XXXIV.

Ad Odium, & vindictam spirantes.

I.

O Fili! Misereamur nostri! *Omnis* (ait Christus per dilectum suum Joannem) *qui odit fratrem suum, homicida est.* Si homicida: ergo & indignus Dei gratia, atque misericordia. Doctrinaliter hîc Basilus Magnus: *Qui odit fratrem suum, eo ipso fit odio ipsi Deo.* Proin oportet tantum abesse odium à Christiano, quantum quisque abesse cupiat à Dei odio, & quantum odium distinguit Christi discipulum à diaboli filio.

Instructio meritoria.

Charitate proximi qui caret, vivens est mortuus. Caret enim vitâ spirituali, quæ est perfecta charitas. Pro hujus stabilitate in cordibus omnium hominum invocemus Spiritum Sanctum *per officium minus* cum Lytaniis de eodem. Spiritus amoris est. Promittitur: sed solis amantibus. Locus pro odio solus infernus!

II.

Christiane! Verissimum est: nil adeò difficile, quam non meminisse offensæ, & offendentem diligere. At id ipsum imperat Christus: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros. Benefacite his, qui oderunt vos.* Clamat fortè rebellis passio: irascimini! Vindicate! Clamat autem & JEsus: *Diligite! Benefacite!* Fili! Cui obediemus? An Christo pro nostra gloria? An odio

odio fraterno ad nostra supplicia? Aut hinc ignoscendum! Aut ibi comburendum!

Instructio meritoria.

Pro omnibus, qui offenderunt, vel oderunt nos, opera hodiernæ diei universa offeramus Crucifixo JEsu septies repetitâ morientis tesserâ, & petitione: *Pater! Dimitte illis! Quia nesciunt, quid faciunt.* Addamus & officium de suavissimo Corde JEsu. Odia sunt restringenda; Charitas verò amplianda cum sui ipsius victoria.

III.

AMice! Ad quid perditio hæc? Noctes, & dies sæpe impendimus integros, ut spiritum expleamus ultionis, & malum pro malo reddamus. Interim fatiscit corpus: deficit Christianæ virtutis spiritus: evacuatur anima: expellitur à corde Dei gratia. O Chare! Non sic! Non sic! Non demus (rogat D. Gregorius) affectibus tempus, ne tractu temporis incendium ex parva scintilla oriatur inextinguibile. Terreant & S. Apostoli verba: *Si invicem mordetis: Videte, ne invicem consumamini.*

Instructio meritoria.

Nobilis ultio offensarum oblivio. Hanc ut tribuat JEsus de Cruce latroni ignoscens, oremus pro omnibus ultionem spirantibus, ut convertantur ad lenitatem, & misericordiam suis inimicis, vel persecutoribus præstandam. Pro quorum conversione per septem dies quotidie unum ex psalmis pœnitentialibus persolvamus

jun-

jungendô primas orationes, quas invenies Lytaniis de omnibus sanctis annexas. Clama sæpe fili mi! O cœli! Date animas! Date & has sinè numero innumeras!

EXHORTATIUNCULA XXXV.

Ad Christianos respectu, & beneplacito humano corruptos.

I.

CHristiane! Quomodo Judici quondam respondet, cujus loco nunc hominem adorat? Judæi Deum postponebant homini, latroni: Quid aliud agimus nos? Si hominem observare mens est, observemus *Hominem Deum*, in quo est omne Verum, & Bonum.

Instructio meritoria.

Quoties cubiculum intraverimus, flectamus, & dicamus: *Vivit Dominus! In cujus conspectu sto, quem timeo! amo! & diligo.* Mox subjungatur Hymnus Ambrosianus: *Te Deum Laudamus.* Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine.

II.

Fili! Et quid est homo, in quem ita sperat, ut & illius amore quæcunque propõsita bona, aut virtutum opera frequenter intermittat? Genesin inspiciat! Paulò antè nihil, nunc vivum cadaver, & saccus stercoreum; brevè cinis, & esca vermium. Et tamen homo pluris æstimatur Deò. Sed væ vobis! *JEsus dixit: Qui me erubuerit, & meos sermones; hunc filius hominis*

792 Ad respectu humano corruptos.

*nis erubescet, cum venerit in Majestate sua.
Confusio quanta!*

Instructio meritoria.

In honorem, & amorem SSS. Trinitatis tres victorias speciales contra damnabilem respectum exerceamus, & in satisfactionem nostræ ignaviæ recitemus symbolum S. Athanasii: *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem.* Ens entium, & Numen supremum ad virtutem, ad Justitiam, & sanctitatem moveat, urgeat, stimulet nos! Cætera spernamus ut stercora.

III.

Charissime! Vivit Deus, & videt nos. Si non benè, si non piè, religiosè, justè, & sobriè vivimus, videt nos Deus, & reprobabit nos. Quid jam desideramus? Aut probari ab homine? Aut damnari à Divino Judice? O justa S. Augustini exprobratio: *Times prorsus, ne offendas majorem; & non times, ne offendas DEUM.* Quantus difordo in agendo?

Instructio meritoria.

Quoties prodibimus in publicum, antea dicamus nobis: *Caute! Prudenter! Circumspectè! DEUS me videt.* Porrò ut in præsentia Divina firmiter stemus, ubique ambulemus, compunctionem, & recollectionem spiritûs, atque animi conservemus, coram sanctissimo Venerabili nos ter prosternamus, & elicitis fidei, spei, & charitatis actibus, surgamus oraturi 12.

Pa-

Pater & Ave cum Credo. Qui verè credit, ho-
mini non fedit. Fideli unus sufficit Deus.

EXHORTATIUNCULA XXXVI.

Ad Incontinentes, & impurè viventes.

I.

Flli; quando tandem Finis turpitudinis vestræ?
ecce! jam insonat in aures vestras tuba S.
Hieronymi truculenta clamantis: *O ignis inferna-
lis luxuria! cujus materia gula; cujus flamma
superbia; cujus scintilla prava colloquia; cujus
fumus infamia; cujus cinis immunditia;
cujus finis gehenna.* Recedat jam omnis im-
munditia; ne quidem nominetur in vobis.

Instructio meritoria.

Et hoc rogo per immaculatas SS. Personas, per
Jesum, & Mariam, quorum præsidio ut præser-
vetur ab omni carnis inquinamentò, recitabit
dilectus duo officia de Nomine Jesu, & B. V.
Maria finè labe Concepta cum integra octava,
hoc firmò propositò, vel his octo diebùs amo-
re Jesu, & Mariæ sese continendi ab omni luxuria.
Fili! poterit, si velit. Quid dubitat de Jesu? quid?
vel cur de Maria?

II.

AMande! quid fiet vobis, si secundum car-
nem vixeritis? lata est sententia: reus est
mortis! moriemini! nec moris emanabit diu.
Nemo enim infirmior; nemo miserior, turpior
nemo homine immundo, & lascivo. Est &

LI

abo-

abominatio in oculis Domini! ergo nescitur rigor Divinæ Justitiæ, quò & integræ funditus deletæ sunt civitates, & provinciæ, ubi imperabat incontinentia vitæ? sic citò pereunt, quæ vix unò dætarunt momentò. Verè momentaneum, quod delectat! Æternum, quod cruciat.

Instructio meritoria.

Ne incidamus in manus Domini, portas castissimè custodiamus sensuum, & corporis nostri. Sit hodiernum propositum firmum, fugiendi sexum alterum, & conversandi cum Regina Virginum Maria, cujus amore manentes in solitudine, mediam horam dabimus piæ contemplationi de pretio, & nobilitate Virginitatis, atque castimonie. In fine quinque Psalmos Nomen Mariæ exprimentes offeramus. In hoc S. Nomine oleum effusum omnis honestatis, & virginalis pudicitie.

III.

AMice! ò si pudicitie angelicæ excellentias, & præmia intelligeremus, quàm puriores, & mundiores viveremus! stimulet, inflammet nos S. Athanassi adhortatio, dum exclamat: O continentia! tu mortem destruis, & immortalitatem advehis. Tu es gaudium prophetarum! tu gloria Apostolorum! tu vita Angelorum, & corona Sanctorum omnium. Ecce! quàm pulchra sit casta generatio cum claritate. Brutorum est, volutari in luto, & stercore! Christiane! quæ dignitas vestra? imago Dei est: & in lutum abjicis? ò impudentiam!

In-

Instructio meritoria.

Qui odit animam suam (& corpus) in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, effectum Domini est. A nobis jam ultionem sumamus, carnem spiritui, & spiritum Deo subdamus. Ne caro rebellet, cingamus ciliciis, & humiliemus nocturno jejuniò. Heu! caro Jesu innocentissima quanta non inter tormenta: & peccatrici parcatur?

EXHORTATIUNCULA XXXVII.

Ad Consuetudinarios, & in idem peccatum sæpius relabentes.

I.

Fili! Peccatum satis est! Non adjicias iterum! Misere Redemptoris! Cessa offendere Jesum! Peccatum quò crebrius iteratur, eò magis homini dominatur: nec spes tam acceleratæ conversionis, & pœnitentiæ. Serò profectò medicina paratur, dum mala per longas convaluere moras. Evellitur faciliter arbuscula, dum adhuc tenera; si radicata, etiam viri non poterunt robustissimi. Et tu de die in diem emendationem differs? differs: sed in ruinam. Vocavi! Re-nuisti! Ridebo! Gratiam conversionis negabo. Hac Christus per me consuetudinario.

Instructio meritoria.

Ut tandem agnoscat infelicitatem, & manifesta statûs sui pericula, hodie unam integram impendat horam precibus, & extraordinariæ pietati, quâ SSS. Trinitati offeret tria sacra Rosaria

cum Psalmo : *Benedic anima mea Domino : & omnia, qua intra me sunt &c.* Quis detrahet æthiopi pellem? Solus Deus. Jam confide Fili! Non erit respectu tui infirmior, aut impotentior.

II.

BOne! Nondum audio suspirantem cum penitente Augustino. Quamdiu? Quamdiu cras & cras? Quare non modò? Quare non hac horâ finis turpitudinis meæ? Crescunt omni momentò Dei in vos beneficia: & vos magis induramini in vestrà erga tantum Dominum, Patrem, & Jesum malitiâ! Sed & hoc est beneficiorum maximum, quòd vos videam adhuc in vita. Lucifer cecidit semel! Adam semel pomum gustavit vetitum. O Justitiam! Ille expellitur cælo; hic paradiso! & manus Domini necdum contra vos armata est? O Bonitas!

Instructio Meritoria.

Ne exasperetur furor Domini, non repetamus occasionem peccandi. Ut pruritus eò pergendi per dexteram Excelsi, & Sanctos ejus, oremus Lytanas de omnibus Sanctis, promittendò usque ad proximam confessionem (quæ intra 10. vel 14. dies certò reassumenda) nunquam cum impiis nos immiscendi. Scriptum est enim: *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Uvæque conspecta livorem ducit ab uva.

III.

III.

CHristiane! Quàm vilis facta est nimis anima vestra, iterans vias suas. Serve nequam, omne debitum nuper dimisit vobis Deus. Cur malum redditur pro bono; cur peccatum additur peccato? propositum seriæ pœnitentiæ sola firmat in bono constantia. Quid enim lavisse pedes? Quid exuisse tunicam proderit, si ad vomitum redeat homo? Verbum sapientis est: unus ædificans, & unus destruens, quid est nisi labor? Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Vulnus iteratum sanatur tardiùs. Relabens veniam meretur nullam. Nihil enim profunt lamenta, si replicantur scelera. Væ! væ! væ! vestræ perfidiæ!

Instructio meritoria.

Jesum, & hunc Crucifixum inquiramus, & flexis genibùs, brachiisque expansis illius vitam, passionem, & mortem imploremus recitandò 34. Pater, & Ave; statuamusque seriò quotidie in venerationem quinque vulnerum Jesu quinque Ave manè, & noctu recitare, & id quàm fidelissimè. Stabit, pro quo Jesu perorabunt coram Patre aperta Vulnera. Deserantur peccata! Agatur pœnitentia!

EXHORTATIUNCULA XXXVIII.

Ad Impœnitentes, & Obstinos.

I.

INfelix anima! ergo vita, passio, & mors divini Unigeniti pereant in vobis? Ubi enim nulla pœnitentia, ubi voluntas in malo obstina-

ta, ibi refugit gratia Dei cum misericordia. Superbis irascitur Deus: pertinaces terret; obduratos persequitur, odit, averfatur. An non ita? Quid vobis propria conscientia? Trepidat, dum statum internum, vel obiter cogitat. Trepidabit magis, quando se neglexisse pœnitentiam, & tot salutis media undequaque oblata adedò ignavè respuisse, post paucos dies, vel horas advertet. Ah! Misereatur suæ animæ! Ah! Parcat Jesu sanguini! Cœlum est vestrum! Rapite pœnitendò!

Instructio meritoria.

Dum tempus habemus, operemur bonum. Sunt vobis firmæ corporis vires: integra sanitas: vegeti sensus: natura vivacissima. Verùm his omnibus mortem minatur impœnitentia. Ne inferat, citò ad Jesum Crucifixum! Arripiamus, stringamus, & post centena amoris, atque doloris oscula quindecim Pater, & Ave recitemus cum Psalmo: *Domine! ne in furore tuo arguas me!* Addamus & serium propositum, quotidie quinque actus contritionis amorosissimæ exercendi *reflexè*. Conteratur caput! Humilietur voluntas! Non emanebunt compunctionis lacrymæ.

II.

CHristiane! Hucusque manu Domini, ne rueret præceps, sustentata est anima vestra. Hucusque sat admonita est, ne periret. Non enim lætatur Dominus in perditione vivorum; nec vult mortem impii: sed ut convertatur, & vivat.

vivat. Hinc est, quod delinquentis peccata ha-
ctenus diffimulaverit, ut expectaret ad pœniten-
tiam. Nondum resipiscet? Dei bonitatem ul-
terius respuet? Ergo sponte peribit? Fiet! *Di-*
lexit maledictionem; & veniet ei; noluit be-
nedictionem, & elongabitur ab eo. Hoc vobis
ex ore Davidis vaticinium.

Instructio meritoria.

O Fili! non ita! perierunt suâ impœniten-
tiâ innumeri! Nos! Nos salvemus animas no-
stras. Quomodo? Quotidianâ in B. V. Ma-
riam devotione, orandô videlicet in honorem
septem dolorum, quibûs peccata nostra cor Il-
lius transfixere innocentissimum, quotidie sep-
tem Ave, neque unquam simus, ubi ubi vixe-
rimus, sine S. Rosario, & Scapulari Mariano.
ubi hæc signa, & salutis vexilla: quæ nobis ti-
mendæ insidiæ, aut ab inferis pericula? *Impossi-*
bile est, aliquem salvari peccatorem, nisi per tu-
um Virgo! auxilium, & favorem. S. Igna-
tius M.

III.

Dilecte! Ut quid ita tristis, desolata, pusilla-
nimis anima vestra? credidero! Vivitis
enim inter acerba lancinantis conscientie tormen-
ta. O quàm dulcior, quàm suavior est pœni-
tentium vita! Pœnitentia solvit ligata, clausa re-
serat, omnia adversa mitigat, omnia contrita sa-
nat, omnia confusa lucidat, omnia desperata ani-
mat. Hæc S. Cypriani sententia. Pœnitentiam

Ll 4

ergo

ergo agite! & consolamini! Appropinquat enim in vos regnum Dei.

Instructio meritoria.

Pœnitentia est mater misericordiæ, & magistra virtutum. Hâc sibi rapuit cœlum latro pendens de Cruce. Hâc Jesum ipsum nobis rapiamus! Ideò propter nostram, & hæcenus tam obstinatè continuatam impœnitentiam SSS. Trinitati tria Rosaria offeramus. Gaudiosum Patri cœlesti, ut nos recipiat in filios; dolorosum Christo Jesu, ut nos foveat tanquam in passione fratres, & socios; Gloriosum Spiritui Sancto, ut animas nostras tanquam sponsas suas donis excolat omnibûs, impleâtque duodecim fructibûs, quibûs Amor abundat Divinus. Et ut fortiter, atque animosè inchoemus vitæ conversionem, nulla confessio prætereat, cui non superaddi rogaverimus pœnitentiam supererogatoriam. Jesu! Non amplius peccatum!

EXHORTATIUNCULA XXXIX.

Ad graviter tentatos, & internè Afflictos.

I.

CHare! Inanis, & vana est turbatio vestra. Multos, ut humiles essent, permisit Deus labi in peccata gravissima. Vobiscum agit clementius. Permittit solùm tentari ad majora merita. Fili! Resistat viriliter in causa Dei, & propriæ salutis! Tentatio non est ad mortem, sed

sed ad vitam sempiternam. Moriêris, si segnior,
aut fueris morosior!

Instructio meritoria.

Ubi fortior tentatio, ibi Deus vobis viciniôr.
Cum ipso sum (en! Jesu testimonium!) in tribu-
lacione. Ut quid ergo non clamamus? Tentati
citò provolvamur in genua, & Psalmum: *Ad
Dominum, cùm tribularer, clamavi*, humiliter
persolvamus. Fugit dæmon, dum clamat ad
Deum homo.

II.

O Fidelis! Pudeat nos minùs amare Deum,
quàm canes suum Dominum! Canis, quam-
vis objurgetur, percutiatur, vel lapidetur à Do-
mino; tamen repelli non potest: Sed magis ac-
cedit, sequitur illum, & saltitabundus abblandi-
tur. Et ecce! Cædit, flagellat nos Deus hâc,
vel illâ tribulatione, & tentatione, quia digni
centies. Ah! Quomodo non refugimus? La-
mentamur? Murmuramus statuentes in corde:
Non amplius serviam! Et hoc non sit vinci à be-
stiis, à brutis, & canibus.

Instructio meritoria.

Doleamus de nostra cæcitate, & in compen-
sationem nostræ indignationis, impatientiæ, &
ingritudinis, quâ sæpius providum offendimus
Deum, Dolorosum Rosarium patienti Jesu, &
dolorosæ Matri, cum lectione unius, vel alte-
rius Capituli ex libello de Imitatione Christi. Ape-
ri! Lege! & cantabis cum Davide: Domine!
Bonum est, quòd humiliaveris me.

L15

III. Di-

III.

Dilectissime! Natura nostra cecidit, & in casu reſtitutionem suam perdidit: oportet, ut re-
paretur non rebûs mollibûs, sed duris, & aspe-
ris. Malleus durus est, & gravis; sed format
vasa argentea, & speciosissima, quæ prius erant
obtusa, & obliqua. Jam tibi tentato applica!

Instructio meritoria.

O Misericordiam Domini! hîc affligit, tribu-
lat, & premit, ut pro ablatô gaudio brevi, &
modico tribuat perpetua. Abjiciamus tristitiam!
Potius cantica incipiamus, & quòd Deus tam
providè nobiscum egerit hæctenus, & à lapsu gra-
viori præservaverit, ter hodie dicamus: *Te Deum
Laudamus: & cum S. Theresia quinquies suspi-
remus: Pati Domine! non mori.*

EXHORTATIUNCULA XL.

Ad Scrupulosos, & angustiados in
conscientia.

L.

O Modicæ fidei! Noli esse incredulus in tuo
animo! Bonum Dominum habemus in cœ-
lo! Advocatum clementissimum in Christo Jesu!
Grande solatium in Dei promisso. Si enim im-
pius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia
præcepta mea, omnium iniquitatum ejus, quas
operatus est, non recordabor, ait Dominus O-
mnipotens. Sentite proin de Domino in bonitate.

Instructio meritoria.

Dum irruunt molestiores scrupuli, flectamus
coram

coram obvia imagine sacra, & expansis brachiis clamemus ad sidera: *Domine Jesu! in te speravi. Scrupulo dixi: Vade retrô Satanâ!* Mox Psalmum oremus: *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.* Perit, qui sibi nimium fidit. Cæcus enim si cæco &c.

II.

Fili! molesta est lucta, sed & fructuosa; quia, si habet, quam timeat, pœnam; habet etiam, quam speret, coronam. Non nocet sensus, ubi abest consensus. Quia quod resistantem fatigat, vincentem coronat. Non est victoria nobilior, aut pretiosior victoriâ sui.

Instructio meritoria.

Rejiciamus proprium judicium, & adhæreamus alieno! Habemus Patres spirituales, & in his promissam Dei assistentiam juxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Ut ad omnimodam respectu illorum perveniamus submissionem ter prostrato corpore SSS. Trinitati contestemur, abnegemus abnegationem contumacis judicii dicendo Psalmum: *Domine! non est exaltatum &c.* Humiles consolabitur Deus; superbos mortificat.

III.

AMice! Si infirmus sibi vult esse medicus: Quid fiet? Cadet in tumulum. Quis infirmior scrupuloso? & quis elatior illô? O Christiane! timeo lapsum eò profundior, quò se fingit Patre Confessariô prudentior. Qui animæ Directorem contemnit, Deum invadit. Dixi satis.

Instructio meritoria.

Ut interna fruatur pace, & citò ab importuna liberetur scrupulositate, nunquam imposterum adeat sacramentale Tribunal, quin non aliquos propriæ diffidentiae actus v. g. decem in honorem dolorosæ Coronationis spinæ, quam sustinuit Christus Jesus, exerucit, exercitos conscripserit, & conscriptos in manus Venerabilis sui Patris spiritualis extradiderit. Vincenti dabitur manna. Per mensem integrum recitemus vesperras ex officio defunctorum. Auxiliantur defuncti, quando se amplius juvare nesciunt scrupulosi.

EXHORTATIUNCULA XLI.

Ad Constitutos in multis hominum odiis, & persecutionibus.

I.

Fili! Aut vult vivere inter malos, aut bonos Christianos? Si inter malos: habet, unde patiatur persecutiones. Nam mali & coelo, & terræ infensi sunt. Si inter bonos: non miretur mortalium odia. *Qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Pii quiescere, & gaudere in mundo, nequaquam possunt. Mundo semper displicuit virtus.

Instructio meritoria.

Magna gratia, pro Christo quid pati! Ne ingrati simus tantæ, quam in persecutionibus experimur, providentiæ, ter per diem SSS. Trinitati intonemus Simeonis Canticum: *Benedictus*

Domi-

Dominus Deus Israël &c. additō illō devotæ animæ testimoniō ad quamlibet horam repetendō:
Patior, quia amo; amo, quia patior.

II.

Dilecte! Non doleo, sed vobis gratulor. Quæ enim major in mundo fors, & felicitas, quàm ut Jesus, & pro Jesu quid perpeti? Quàm suaves, & jucundæ vobis esse debent persecutiones sæculi, quibùs genuini probamur Dei amici! At quàm metuendæ, quàm crudeles hominum blanditiæ, quæ auferunt robur, & dulcedinem divinæ gratiæ! *O Seculum nequam* (justè exclamemus cum mellifluo Doctore) *quod tuos sic beare soles amicos, ut Dei constituas inimicos!*

Instructio meritoria.

Bonum pro malo reddamus, inimicos, ut nostros benefactores suspiciamus, & ne propter nos vel corpore, vel anima luant per Dei justitiam, centum Pater, & Ave offeramus, his decies immiscendō: *Pater! Dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.*

III.

Amandissime! Contemne mundi, & mortalium sermones, atque judicia! Cæci, temerarii, ac iniqui illi plerumque sunt rerum æstimatores. Cura, ut Deo, & tuæ conscientiæ tua duntaxat probentur opera. Non homo sedebit ad tribunal in judicio extremo, sed scrutans corda, & renes Deus. O Felix, si eò innocens te duxerit mens, & hilaris conscientia! Hæc gloriabitur; mundus autem confundetur, & lamentabitur.

Instructio meritoria.

Grande Nomen : esse Christi servum ! Erimus, si persecutionibus non cedamus. Pro impetranda igitur tolerantia, & longanimitate veneremur totam Ætatem Christi Jesu orandô 34. Pater, & Ave, simulque cum gaudio Spiritus ter repetamus Capitulum D. Pauli : *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt, pro Nomine Jesu contumeliam pati.* Jungamus quoque Psalmum : *In Convertendo Dominus captivitatem Sion.* Sit nobis Jesus charior homine, & mundo. Hi fallunt; Jesus redimit.

EXHORTATIUNCULA XLII.

Ad Pauperes, & inopes.

I.

A Mice! Pauper, & inops est? Quid tum? Sit suâ contentus sorte! Habet & paupertas benè tolerata divitias: & gloriam in domo Dei, quò eundum cum gaudio. Difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt, ait Christus per Matthæum. Vade ergo, Deo gratias age! Gloriare in paupertate! Hæc quò major, eò & tu Jesu similior, cælo vicinior. Christum quando divitem vidimus? Fortè in Præsepio? Aut in Cruce? Quid hîc oculi nostri?

Instructio meritoria.

Deponamus nimiam pro nostris necessariis sollicitudinem, & omnem curam in Deum conjiciamus, qui noster Pater est in cælo. Necessaria proin

proin hodie de manu Dei accipiamus non tanquam debita, sed veluti eleemosynaria dona, & in gratiarum actionem oremus Psalmum: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in oro meo &c.* Filii Dei sumus! Benedicamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

II.

Fili! non tibi displiceat paupertas tua, nec te pauperem erubescas! Nihil inopiã rerum potes invenire potentius, aut ditius. Vis enim scire, quã dives sis in paupertate? Deus, & quidquid in Deo jucundum, atque æternum, tuus est. O te avarum! Si tantum bonum, quod immortale, & perpetuum, tibi non sufficiat! Deum tibi rape! Raptum tene; Et contemptu cæterorum omnium hunc solum posside!

Instructio meritoria.

Pauper non est, qui verba pacifica, charitativa, & ædificatoria dare didicit. Procul hodie cum melancholia! Procul cum iracunda tristitia, quam ut per Jesum ad 34. annos pauperrimum vincamus, omnia tria SS. Rosaria de quindecim Mysteriis recitemus. Nunquam deficit, quem Jesu paupertas suffulcit.

III.

Bone! Nudus ex utero Matris egressus es: Nudus perges illuc. Quid jam desideras vivere, & mori dives? O quã durum erit relinquere, quod modò ambis studio, & labore tanto! Fatiscit, qui cum sarcina montem ascendit. Quid erit onus Babylonis properanti ad domum æterni-

æternitatis? Heu! dimittenda sunt omnia! Sola admittetur in sinum Abrahæ pauper, & nuda anima.

Instructio meritoria.

Omnia quæ habemus, & possidemus, in manus Jesu, & Mariæ hodie consignemus cum fiduciali hac contestatione: Hoc oro, hoc cupio, & desidero, ut ab omni proprietatis expoliatus vitiò nudus nudum Jesum sequi valeam. Addantur dein Lytaniæ de dulcissimo Nomine Jesu, & Mariæ. Aurifodinam scimus? Et uti nolumus?

EXHORTATIUNCULA XLIII.

Ad decumbentes, & infirmos.

I.

CHristiane! Cessa ingemiscere! Infirmitas tua grande donum Dei est, quod non rarò utilius est sanitate. Dum sani, deficimus sæpius. Dum languidi, resipiscimus, & quærimus, quorum antea vix unquam recordati fuimus. Non ergo nobis dolenda corporis afflictio, quam intelligimus matrem esse virtutum, & conservatricem Divinæ gratiæ.

Instructio meritoria.

Nostros dolores offeramus hodie animabus graviter luentibus in purgatorio, ter inclamantes: *Domine Jesu! per sanctam Passionem, & mortem, quam amore nostrum sustinuisti, quasumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

demisti. Additís in fine quinque Pater, & Ave cum Psalmo: De profundis.

II.

O Dilecte! Ubi fides? Ubi intellectus, & ratio nostra? S. Paulus de se gloriatur dicens: Nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Cùm infirmor, tunc potens sum. Nam virtus in infirmitate perficitur. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis. Si essemus cum D. Paulo è Schola Christi, idem sentiremus de doloribus nostris. Verùm hanc doctrinam non capimus omnes, plus intenti, quid patiatur caro, quàm quid placeat Deo.

Instructio meritoria.

Doleat nobis nostra impatientia, quæ major, & flebilior omni morbo, & infirmitate. Et ut possibili saltem resarciamus industriã, S. Rosarium de quinque dolorosis Mysteriis recitemus. Dolor provocat amorem. Jesus à planta pedis usque ad verticem capitis merus livor, vulnus, & dolor: Quid nos?

III.

AMice! à gentili confundimur Seneca, qui ita: *Nemo potest valdè dolere, & diu; sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem, aut brevem faceret.* Nulla igitur infirmitas fortem dejiciat animum, sive sit levis, sive gravis. Si enim gravis, tamen brevis est; si levis, hoc ipso tolerabilis. Certè hæc nostra mollities est, quæ innumeros facit desertores virtutis, dum omne difficile respuit tanquam intolerabi-

lerabile. O Fili! Tolle fictam difficultatem: & placebit infirmitas, in qua summa latet felicitas. Quò dolor auctior, eò gloria tibi copiosior.

Instructio meritoria.

Morborum tempore omnes rejiciamus curas, & anxietates! De præteritis doleamus! De futuris in Deum confidamus! Soli patientiæ, & Christianæ fortitudini intendamus, per diem cum S. Laurentio Justiniano sæpius ingemiscetes! *Domine! Hic patientiam! Ibi indulgentiam!* Pro solatio afflictæ animæ dicamus illa tria de pluribus Martyribus Cantica: *Iustorum anima in manu Dei sunt &c.* Et Hymnò Ambrosianò finiamus *Te Deum Laudamus.* Amor debetur amanti. Magna agamus, dum sani in corpore; si infirmi, patiamur majora. Amor agendò firmatur; patiendò coronatur. Renuit regnum Dei, qui fortiter pati.

EXHORTATIUNCULA XLIV.

Ad moribundos.

L

Fili! Quorsum? Siccine ad domum æternitatis? Siccine ad beata gaudia nostra properat anima? Gratulor; quia tandem finis ærumnarum, quas tulimus in hoc flebili lachrymarum valle. O quantum jam vos expectant Jesus, Maria, & S. Josephus! O quantum Angeli, & Archangeli! Erigite mentem! Excitate cogitationes in spem vivam! Non mortem time, sed invitate.

Instru-

Instructio meritoria.

Comitem ut habeat pro æternitate, ecce! Jesum Crucifixum ei exhibeo. Capiat, & inter dulcia 34. Oscula jucundô Spiritu dicat: *Jesu! dulcis Amor! Quando veniam, & apparebo ante conspectum tuum, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.*

II.

Fili! Non terreant peccata! Non turbent præterita! Non cruciet vulnerata conscientia! En! Matrem misericordiæ! En! Advocatam ad thronum gratiæ! Nihil resistit Mariæ potestati; nihil repugnat Mariæ viribus; omnia obediunt Mariæ. Omnia serviunt Mariæ. Et ò tempus acceptabile! O Diem! O Horam salutis! Mariam brevi videbimus ipsi: Ecce! Jam appropinquat, in cujus pulchritudine, in cujus Majestate, anima vestra penitus defixa, æternum lætetur, gaudeat, & exulet.

Instructio meritoria.

Percutiamus humiliter pectora, & fiducialiter inclamemus, invitemus cœli Dominam cum Ecclesia: *Salve Regina! Mater misericordia, vita, dulcedo, & spes nostra salve! Eja illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens! O pia! O dulcis Virgo Maria!* Invocatô Nomine Matris

tris etſi merita non mereantur invocantis, exaudiatur, merita Matris intercedunt, ut à Filio exaudiatur. Hoc vobis ſolacium dat in Viaticum S. Anſelmus Mariæ devotiſſimus.

III.

Fili! Angelorum choris intereſſe, cum beatis ſpiritibus gloriæ Chriſti Jeſu aſſiſtere, præſentem Dei, Mariæ, & omnium Sanctorum vultum cernere, nullô mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, ô quot hæc moriturientium gaudia! His jam vos eſtis proximi. Lætamini in Domino! curas abjicite! ſolicitudines damnate! Si mala occurrant: Do- leamus, & Jeſu Paſſioni confidamus. Jam enim invitantis percipimus vocem: Venite! Qui laboratis, & onerati eſtis! Venite! Et ego re- ficiam vos. Hinc apertum cor ejus! Hinc bra- chia expanſa, ut vos recipiat in æterna Taber- nacula? Surge! Proſciſcere! Propera dilecta anima! Veni & accipe coronam, quam tibi Do- minus præparavit in æternum.

Inſtructio meritoria.

Omnes cogitationes, quibûs infirmam infeſtat animam diabolus, in vulnera Jeſu abſcondamus. Hæc ut pateant vobis, quin quies mecum ſuspira- te: *Jeſu! ad tua SS. vulnera deſiderat anima mea. In his dormiam, & requieſcam.* Fili! ut & ego ab amplexu meo vos non dimittam ſinè bene-

benedictione, & paternâ consolatione, promitto per 30. Dies quotidianam ipsius memoriam in precibus, & templis. Et si in suam cœlestem venerit Patriam, recordetur mei, ut non quæram, nec diligam, nisi quæ sunt Jesu Christi. Jam vale, & eò perge, quò te vocat Dei voluntas. Tene, stringe Deum tuum, & hoc in omnia Sæcula. O felix anima! quàm vellem & ego dissolvi tecum.



INDI-